IDÆA,

SIVE

DE IACOBI

MAGNÆ BRITANNIÆ,
GALLIÆ ET HYBERNIÆ,
præstantissimi & augustissimi Regis, virtutibus & ornamentis, dilucida Enarratio, eiusque cum laudatissimis veterum Regibus, Monarchis, & Imperatoribus, comparatio exacta & enucleata.

Authore THOMA ROSA
Scoto-britanno.

LONDINI,
Excudebat IOHANNES NORTON,
Serenissimæ Regiæ Maiestati in
Latinis, Græcis, & Hebraicis
Typographus.
1608.



IACOBO MAGNÆ BRITANNIÆ, Franciæ, & Hyberniæ Regi, *pio, augusto, inuicto.*

NOn sum nescius, (Princeps omnium quotquot sunt, fuerunt, aut erunt, nisi fallunt fata, longè maxime, & velint nolint, omniũ optime) *Alexandrum Magnum* edicto cauisse, ne quis illum præter *Apellem* pingeret, præter *Pyrgotelem* sculperet, præter *Lysippum* ære duceret; eamque ob rem non iniuria mirari te posse qua fronte, qua fiduciâ ad sacratissimos

Maiestatis tuæ vultus, manus illotas, profanas, ineptas, admouerim: etenim non est mihi tanta caligo ob oculos, vt non videam tanto me *Apelle*, *Pyrgotele*, *Lysippo* artificem minorem, peiorem, quanto te *Alexandro Magno* maiorem, meliorem Principem omnes agnoscunt, & admirantur. Sed excusabit hoc siue crimen siue errorem, si non studium in te meum, certè facilitas tua, & augusta benignitas in omnes. Hos ego vultus priuatim mihi finxi domestica religione reuerentiaque adorandos, non etiam habendos in propatulo: sed quid facias? Dij diu latere non possunt, etiam tacita Maiestate sua produntur. Familiares aliquot mei Lararium meum ingressi, inter alia agnouere effigiem perfectissimi Principis, & conati sunt mihi persuadere, fore, vt non leuiter gratificarer bonis omnibus, si proponerem eam orbi terrarum ad imitandum: ego licèt non essem adeò hebes, vt ignorarem

norarem multa ei deeſſe, quæ non paterentur eam expectare laudem perfecti & conſummati operis; quinimò veniam potiùs iuberent ſperare, quàm gloriam: quia tamen certus eram me eâ fide vſum fuiſſe, vt non vllus in ea eſſet, ne leuiſſimus quidem tractus aut lineamẽtum, quod ex animi mei ſententiâ iuratus non auderem affirmare iurè tuum eſſe, ſuſtinui exorari. Et ecce iam ampliùs mea non eſt, oculi omnium publicè eam vendicant, neque vereor ne inueniatur cui placeat; immò ne ſit æterna: ſcilicet vtrumq; tibi debebit, neque ſanctius aut ſecurius fuerit Ancile per *Martem*, per *Mineruam* Palladium, quàm hæc tabula religione & patrocinio nominis tui. Vale longùm & fœliciter viue, lateque regna.

Maieſtatis tuæ obſeruantiſſimus,

T. R.

XUM

REgem Rossa *meum suo libello*
Pingit regibus omnibus priorem,
Qui sunt, qui fuerant, erunt, priorem;
Pingit regibus eminentiorem,
Quantum sunt teneris cedri salictis,
Pratis celsius aut iugum Pyrenes,
Aut conuallibus infimis niuosæ
Alpes: sic niueus coruscat orbis
Arctoi populis ocellus orbis.

Ar. Gord.

DE IACOBI, MAGNÆ BRITANNIÆ, GALLIÆ, ET HYBERNIÆ, &c. præstantissimi & augustissimi Regis, *Virtutibus, & ornamentis, dilucida Enarratio, eiusq; cum laudatissimis veterum Regibus, Monarchis, & Imperatoribus, comparatio exacta & enucleata.*

BRITANNIA omnium Insularum totius orbis, & æquoris clarissima, omnibusque quibus gentes celebrari solent nominibus, longè spectatissima, occidui maris sinu vndique concluſa, vt ijsdem terminis, eiusdem-

que ſpatij ambitu circumſepta fuerit, iam inde tamen à remotiſſimæ memoriæ primordijs, geminis ſceptris & Regibus parere conſuevit. Eius Septentrionalem Scoti tractum tenuere, meridianus Anglis obtigit: hi à Saxonibus, illi à veterum Ægyptiorum ſtirpe, & origine procreati: vtrique armorum, corporumque vi & robore, iuxtà ac animorum, ingeniorumque ſolertiâ ac ſagacitate, rerumque geſtarum gloriâ & fulgore, cumprimis conſpicui. Eius incolæ, vt linguis conſoni, ſic legibus, & populorum conſuetudine & ritu, inter ſe diſſoni, multis annorum centurijs permanſerunt: & vt fluminis lapſu terræ, ſic faſcium iure, & poteſtate, à ſe inuicem gentes diſſidebant.

Duo præcipua Britanniæ Regna eorumque ſitus & limites.

Quarum altera, quippe Scotia, centum & octo Regibus acerrimis & præpotentibus regnata, varijs reliqua mundi regna titulis ſupereminet, eorumque laudes multis ſtadijs & paraſangis

Quatuor Scotiæ prærogatiuæ præ reliquis mundi Regnis.

sangis antegreditur; Natio, purâ & incorruptâ Euangelicæ lucis, & veritatis prædicatione; Regni illæsâ,& illibatâ,& per omnium ætatum decursus conseruatâ,libertate;Et incolarum adamantinis stomachis, ferreis laminis, & triplici munitis ære: Denique antiquitate dominatus, non modernis modò, sed & omnibus quæ à mũdi cunabulis exstitere solijs, anteponenda; alijs etiam priuilegijs nulli secunda: vt sequentium filum & seriem, intentâ mentis acie sigillatim perpendenti, in promptu & procliui erit,liquidò perspicere. Qui inter septem candelabra aurea ambulat, & præcinctus ad mamillas zonâ aureâ, illic intentissimi vultus sui coruscãtes radios, quasi meridiano tempore diffundit; & qui ex ore eius prodit gladius anceps, pertingitq; ad diuisionem animæ simul & spiritus, compagumque, & medullarum, vigorem & penetrabilem suam vim, non reconditus va-

1. *Sincera euãgely promulgatio.*

Apoc. 1.

In epist. ad Heb.

2. *Libertas Regni.*

ginâ, incredibili more, exerit. Libertate, quam ſartam tectam ſemper retinuit, tantâ commendatur, vt Romani rerum domini, genſq; togata, neque conſilijs, neque militari virtute, aut violentiâ, eam adigere potuerint, vt ſua ſubiret iura: Qui opimis orientis ſpolijs onuſti redierãt, qui tot Reges, tot populos triumphali curru ouantes vecti, captiuos & catenatos traduxerant, quibus nulla propugnacula, nullæ machinæ reſtitere, eam neque opprimere, neque ſub iuga mittere potuerint: adeò vt hoc titulo ſola glorietur, quòd à pueritiâ, alienæ ſeruitutis ignara, nullas vnquam externas leges ſibi præſcribi pertulerit. Ro-

3. *Robur incolarum.*

bore & fortitudine bellicâ tantâ pollet, vt incolæ ab ineunte ætate, belli munijs & excubijs ſint edocti, ſicut olim *Parthi* ſagittis, & *Baleares* fundis, à prima infantiâ & cunis, ſcopum ferire didicerant. Verùm non tangenda, neque irritanda, aut inuadenda

Scoto-

Scotorum pectora, his *Maronis* versibus describi puta; vbi priscos Latinos penicillo suo graphicè depingit, multo autem veriùs si de *Scotis* loquutus esset.

Venatu inuigilant pueri, syluasq; fatigant, *In Æneide.*
Flectere ludus equos, & spicula tĕdere cornu:
At patiens operum, paruoq; assueta iuuentus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello:
Omne auum ferro teritur, versáq; iuuencûm
Terga fatigamus hastâ; nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatq; vigorem:
Caniciem galeâ premimus.

Postremò de vetustate *Caledoniæ*, paulo prolixiùs edisseremus, quâ tantâ gaudet, vt memorabilis ille Scotorum Rex *Fergusius*, regni fundamenta iecerit, ipsiusque moderamen faustis auspicijs susceperit, quo tempore *Alexander* Babylonem expugnauit, ante IESV CHRISTI Sermonis & Immanuelis, (cui omnium Regum superbissima genua flectuntur) incarnationem, annis 338. id est, omnino

4. Antiquitas Regni.

Scotiæ Regnũ reliquis antiquius, inductione declaratur.

Antiquitas & periodi regni Iſraelis & Iudæ

vſque ad præſentem annum à partu beatæ Virginis 1608, annis mille nongentis triginta quinque, vt annalium irrefragabili fide memoriæ proditum eſt. Quâ prærogatiuâ quæ gentium cum ea contendat, & in certamen deſcendat? cui laudem hanc non præripit? Regnum populi Dei ab introitu *Saulis*, Iſraelis Regis primi, vſque ad Iehojacinem, nouiſſimum Iudæ Regum, euectum, quingentis & duodeuiginti annis aut circiter durauit: poſt ſeptuaginta captiuitatis annos elapſos, ad excidium vrbis Hieroſolymitanæ, terrarum floris & gemmæ, anni interceſſerunt quingenti viginti ſeptem: à ſchiſmate & dilaceratione decem tribuum, ad vtriuſque populi deportationem, breuiores temporis periodi effluxerunt, & prædictarum primâ etiam comprehenſæ. Ante *Saulem*, ab exitu ex ergaſtulo Ægyptiaco, & lege latâ, pauciores quadringentis annis præterierunt; qui omnes iuſtâ

&

& arithmeticâ ſupputatione connexi, ad commemoratos noſtræ antiquitatis annos non aſcendunt.

Aſſyriorum imperium quandiu floruerit, & quæ ſint eius epochæ, anxiè contrauertitur. In hoc concinunt omnes, ſpatium à *Nymrodo* primo eius authore, ad *Sardanapalum* (cuius regnum *Arbaci*, & *Belocho* ceſſit) annorum mille quadringentorum octuaginta nouem ſpatium non exceſſiſſe; quo tempore Aſſyrij cum Medis ancipiti marte diu dimicarunt, ſed priſtinas vires recuperare nunquam valentes, tempore *Ezarhaddonis* planè interciderunt: quæ enumeratio tum ſacris literis, omni exceptione maioribus, tum *Caliſteni*, *Ariſtotelis* diſcipulo, de hac re *Alexandrum* Macedonem, huius quæſtionis indagandæ ſtudioſum, inſtituenti, conſentanea deprehenditur. *Aſſyriæ Monarchiæ vetuſtas.*

Babyloniorum monarchia, aureum illud caput, ſi à *Nabuchodonozore* eam *Babylonij imperij progreſſus.*

inchoandam dicamus, (quod vero similius autumo) vsque ad *Baltasaris*, (qui *Herodoto* & profanis *Nabonitus*) interitum, septuaginta annis viguit: si à *Berodachbaladane*, cum alijs non imperitis exordiamur, altiùs assurgendum erit, sed tantùm ad *Ezechiæ* tempora, per pauca annorum lustra, si cum nostris cõferantur, vix per vnam centuriam.

Ité Persici. *Persæ*, à *Dario* vel à *Cyro*, (*Dario* inquam primo,) & occupatâ Babylone, ad *Darij Codomanni*, suorumq; cladem, & internecionem, centum triginta annis, vel, vt alij, ducentis, rerum potiti sunt, & summâ authoritate claruerunt.

Alexander, quàm subitò apparere cœpit, tam repentè, quasi spectrum euanescens, disparuit, & duodecim annorum reuolutione, quasi torrens fremitu in conualles decurrẽs, Asiam præpete volans pennâ, peruasit; imperiumque tot sudoribus partum, quatuor

Græcorum siue Macedonum duratio.

tuor ſucceſſoribus reliquit, vnumq́ue corpus malè conglutinatum in totidem membra diſſectum, & dilaniatum fuit: quorum, præcipuæ Ægyptus, & Damaſcena Syria, *Seleuco*, & *Ptolomæo*, eorumq́; poſteris obnoxiæ fuerunt; & hæ etiam reſiduæ portiones intra 350 aut 400 annos diſſipatæ fuerunt, & tanquam modica flumina in ingentem Romanæ magnitudinis Oceanum mox ſeſe exonerarunt.

Romanæ Monarchiæ conuerſiones & duratio.

Romani ab vrbe conditâ, cum vicinis Italis, per quingentos integros annos perpetuò conflixerũt, antequàm indè emergendi copia ipſis daretur; poſteà cum reliquo orbe, per ducentos viginti nouem annos maiori impetu decertarunt, donec acclamantibus omnium ſuffragijs, *Octauianus Auguſtus* appellatus eſt; quod pro imperatorij ordinis initio tenendum eſt. Indead *Auguſtulum*, qui poſtremus Romanorum Imperator nuncupatus eſt, quem *Odoacer* Gothorum Rex throno

De Romæ ortu, & incrementis Dionyſius Halicarnaſſæus exquiſitè tractat.

throno deturbauit, & regali prætextâ exuit, anni quadringenti nonaginta ſeptem. Illic imperiali ſellâ Romani penitus exciderunt, & vſque in hodiernum diem tam miſerè diuulſum eſt illud corpus, vt cadauer lumine caſſum potiùs videatur, aut vmbra, quàm vegetũ corpus, niſi exigui temporis curriculo, quod non venit in calculum.

Ægyptij, magnam, & prorſus inauditam antiquitatem, quadraginta millium annorum, præ reliquis iactitant, (vt tradit Diodorus Siculus:) ſed quàm falſò & inaniter, omnes norunt.

Diodorus Siculus.

Lacedæmonij, ab *Euriſthene* (qui ſicut & ſucceſſores ab *Hercule* ortum traxit) ad *Lycurgum*, à *Lycurgo* ad Ephoros, ab Ephoris ad *Philopomænem Achæum*, qui ipſos debellauit, omnino nongentis nonaginta annis, in Græcia imperarunt.

Item Lacedæmonicæ Reipub.

Athenienſes, vt αυτοχθονων titulo intumeſ-

Dominatio-

tumeſcant, ſeſeque in eo ipſo natos ſolo garriant, tamen quod ad Græciæ imperium attinet, eius compotes fuerunt tantùm ſeptuaginta annis. Ciuitatis verò moderamen, citra ſeruitutis aut tributi vincula, vt externorum iuſſa capeſſere, aut eorũ nutu adminiſtrari non cogeretur, proceſſit hac ratione: nimirum, à *Cecrope* primo Rege ad *Æſchyli* obitum, & dictatores creatos, ab *Æſchyli* funere ad *Periclem*, & pernicioſam Ochlocratiam conſtitutam, (à quâ acceptum detrimentum vix tandem reſarcire potuerunt,) à *Pericle* ad triginta tyrannorum æuum, quos Lacedæmonij, claſſe Atticâ ad Ægoſpotamos naufragio, duce *Lyſandro*, deletâ, ciuitati præfecerunt; his inquam Athenienſis vrbis ætatibus, anni proceſſerunt mille ducenti quinquagenti. Porrò iacturam à triginta tyrannis acceptam, inſigni ſtratagemate breuì reparauit *Thraſibulus*; & dominos profligauit

nis Athenienſium epoche.

ciuium

ciuium ceruicibus, à Spartanis impositos: sed non longo temporis protractu, *Sylla* ciuitatem anteà varijs magistratuum formis repudiatis, & denuò remeantibus, vltro citroque iactatam & conquassatam adeptus est, & in populi Romani potestatem redegit.

Exiguæ & ignobiles Græcorum præfecturæ.

Argiuorum & *Sicyoniorum* regimina, vt obscura, & locorum angustijs definita fuere, ita statim in aliquod ex commemoratis abierunt, & vt instabiles nebulæ disparuerunt. Sed quid immoror? an non omnibus constat decantatas illas Olympiades, omnis fixæ & approbatæ antiquitatis apud Græcos, fontem & originem esse? fixæ dico: neque enim me latet multa priora obtrudi, quæ pro fabulosis potiùs, aut commentitijs Historiæ laruis, quàm pro veris, & minimè simulatis narrationibus censendę sint. Et Olympiades *Achazi* Regis Iudæ tempore ortum habuere, & earum septi-

Olympiadũ initium.

septimâ Romanæ ciuitatis pomæria sulco designata sunt: ex quibus perspicuè euincitur quanto interuallo profundissima Graiorum antiquitas, nostrâ sit inferior.

Quod ad recentia spectat, *Tartarorum & Turcarum*, siue *Ottomannorum* prodigiosa imperia, eâdem tempestate, in Oriente, & Aquilone emerserunt, quando *Saladinus* Saracenis præpositus Ægyptum arripuit; & ex quo *Selimus* homo priuatus in Cappadociâ conquieuit, anno à partu Virginis deiparæ, millesimo centesimo quarto, anni ad nostrum seculum non admodùm multi pertransierunt. Sed quid in talibus monstris recensendis hæreo? cùm Turcæ hominum profugorum colluuies sint, tanquam apûm examina, ex Scythiæ speluncis vt aluearibus prorepentium, Virga iræ Dei furialibus ausis, ad mundi opprobrium debacchari permissa, vbi iusti imperij legum maiestate

Turcarum & Æthiopici imperij ortus.

ſtate ſanciti, nulla facies eſt, niſi in militaris diſciplinæ munijs diſponendis: haud ſecus Tartari. Præsbyteri *Iohannis*, Sophorum Perſicorum, Saracenorum, Chinenſium, & Moſchouitarum dominatus noui ſunt, & quaſi heſterni; & non niſi imbelles fœtus ex veterum cinere renaſcentes & repullulantes habendi ſunt.

De Venetis, Carthaginienſibus, Hungaris, Pollonis, non vacat meminiſſe; trita ſunt, & vulgo nota.

Cum fratribus & conciuibus *Anglobritannis* non commiſcemus certamen, neque de hac re, neque aliâ vllâ litem ingredimur, cum quibus vt eiuſdem corporis membris, arctiſſimis fibris & tendonibus nobiſcum compactis, & probè concinnatis, vt laudes, ſic contumelias & præiudicia communia reputamus; quidquid eis derogatur, id nobis detrahi teſtamur, & veluti pro noſtrarum, ſic pro Anglicarum laudum patrocinio, vt pro aris

Anglis eiuſdem laudis participationem concedimus.

aris & focis digladiabimur, omnemq; discriminis aleam sustinebimus, & vel leuissimas memoriæ simultatum refricandæ occasiones, vt Syrtes & Caphareos scopulos vitare statuimus: Ijs parem in hac re laudem deberi fatemur & agnoscimus.

Idem decus vetustatis Danis indulgemus & gratificamur.

Neque Cimbris ceu Danis, fastus Ausonij flagello & malleo, de vetustatis honore, vt proprio nobis concedendo, bellum indicere, eosve ad duellum prouocare volumus, quos æthereus pater beatissimæ necessitudinis, & affinitatis non soluendo nodo, vt valido neruo consociauit; Eos eiusdem gloriæ participes admittendos, non sine iniuriâ inficiaremur.

Gallici regni conuersiones.

Gallia, prope annum *Christi* 350, excusso Hesperiæ fræno, cui priùs mancipata fuit, in regnum sublata est, principe *Varamundo*, à quo ad Morauos delatum, inde ad *Carolum Magnum*, & *Pipini* familiam, denique ad *Capeti* gentem, postremò ad *Burbo-*

niam

niam domum migrauit. Sed diuturno tempore cùm aliæ permultæ ipsius prouinciæ, tum tota Aquitania Anglis obtemperauerunt; & nunc quan-

Gallia iusto Regi immoderata, mox sententiam mutabit, & ad saniorem mentem redibit.

quam solito ferocior Gallia, petulanti nisu, vt impatiés sessoris equus euagari conetur, & longè illustrissimo Britanniæ &c. Regi IACOBO, terrarum syderi, officia subinissionis & fidei, arrogantiâ turgens, deneget, propediem tamen futurum confido, vt manus vinctas & victas, humilis & tractabilis exporrigat.

Hispania tam multarum gentium incursionibus vastata, & deprædata fuerat, tam multiplices dominos sortita est, vt eius conuersiones contracti sermonis compendio percurrere arduum sit: eam Saraceni (qui tam speciosum titulum immeritò sibi vendicant,) Mauri, Gothi, Vandali, Arabes, Celtæ, Alani, & Sueui, variis ætatibus diripuerunt, ferroq; & flammâ popolati sunt: eius primus Rex scribitur

bitur fuisse *Tubal Noachi* nepos, cui succesſit *Iberus*, regni legitimus hæres, vnde genti nomẽ, & noto fluuio, (qui placidis ipſam vndis interluit.) Hinc alij continuò ad *Heſperum* duodecimum Regem, vnde alterius Heſperiæ nomen inditum, (vt nonnullis placet) poſt quos Pœnis data eſt; hos Romani eâ ſpoliarunt, duce *Africano* maiore; hos, anno Chriſti quadringenteſimo, Vandali, Alani, & Sueui, expulerunt; eos repentè Gothi; Gothos, anno ſalutis ſeptingenteſimo vigeſimo, Saraceni circa *Roderici* tempora deiecerunt: quibus tamen illicò ius ſuum Poſtliminiò reſtitutum eſt, & penes eos aliqua regiminis ſpecies manſit, vſque ad *Ferdinandum* Arragoniæ Regem, qui *Melenium* Saracenum Granatę Regẽ, collatis ſignis, ſæpe fudit & fugauit; & Maurorum, in Hiſpaniâ occaſus is fuit, euenitque anno ex quo *Sermo caro factus eſt*, milleſimo quadringenteſimo nonageſimo

Hiſpanici regni variæ circumuolutiones.

mo tertio; & non multis hinc exactis diebus, compositis Castilienſium & Portugalenſium litibus, vnius nutu tota regitur, vniuſque coronam ſalutat. Ita tam fluctuanti viciſſitudinum circumuolutione, quaſi labili rotâ, circumacta eſt, & tanquam vertigine laborans, in gyrum circumducta, ut nihil ſolidæ antiquitatis noſtræ ſimilis ſubeſſe videatur. Quæ omnia cum ita ſe habeant vt iam vtcunque demonſtrauimus, nemo non percipit durationis, & vetuſtatis laudem præ reliquis mundi regnis Scotiæ deberi, & palmam hanc citra teli iactum aut pulueris aſperſionem, vt peculiarem ipſi concedendam eſſe. Et vt durationis tantæ decus ſibi aſcribit, ſic æquabili & vniformi gubernationis tenore, præ multis extollitur, quibus frequentes, & reciprocæ mutationes exitium, & læthale vulnus procurarunt. Quippe, apud Romanos, tum alij multi magiſtratus, tum præſertim Tribuni

Scotia gubernationis vniformitate & eadē adminiſtrationis facie & formula ſemper vſa eſt.

buni plebis: apud Spartanos, Philarchi, & Ephori, (quibus etiam quàm turpe erat Reges ipsos assurgere, eorumque mandata & iussa capessere?) Apud Athenienses, præter alios, populos, & optimates, à quibus infanda illa lex Ostraciſmi, de proceribus & optimis ciuibus, per decennium ad populi votum, & impotentiam explendam, relegandis, sancita fuit, etiamsi insontes, & delicti expertes fuissent: Non ita Scotia, vtpotè quę hoc nomine efferatur, quòd eâdem Reipub. facie à principio vsa fuerit, & à tam horrendis maculis immunis, & libera perstiterit. Quæ cum talis hactenus tam diu permanserit, longæuitate fœlici, & vniformi gubernatione præpollens, omnique benedictione, & bonorum aceruis cœlitùs cumulata, sic ad mundi futuram conflagrationem, fore vt progrediatur, & expectamus, & sedulis precibus obnixè expetimus.

Philarchi et Ephori apud Spartanos.

Ostraciſmus Athenienſiũ

Concluſio.

Vnio & coalitio duorũ regnorũ sub vno Rege.

Cæterùm, in vnius Regis perſonam & ditionem, duo illa prædicta florentiſſima Regna, tandem coaluerunt, & in eiuſdem aurigæ prouidas manus, vtriuſque dominij habenæ & retinacula tranſlata ſunt; tantoq; applauſu, communem Patrem, quaſi paſſis vlnis, amplexi ſunt & deoſculati diuerſorum parentum liberi, votiſque tam ardentibus iam pridem expetitum, tanto ardore, & affectuum propenſione ſalutarunt, vt Deo propitio, cœlorum & ſyderum blando arridente influxu, vnanimi vicinarum gentium ſuffragante calculo, & Procerum vtriuſque nationis vniuerſali aſpirante conſenſu, res iſta peracta, & ad exitum optatum perducta, facilè intelligi poſſit. Quo inopinato rerum tantarum ſucceſſu, quantò maiores, & nitentiores gaudij ſcintillæ, amicis & confœderatis emicuerunt, quantò intentiori lætitiâ ſociarum gentium pectora geſtiebant, tantò vehementiùs

Quantâ lætitiâ & exultatione vnio illa ſancita fuerit.

tiùs infensa hostium corda formidine consternata trepidabant, & quasi syncope arrepta, aut fulminis ictu exanimata corruerant. Is est inclytus ille, & excelsæ mentis, IACOBVS! Scotiæ sextus, totius Britanniæ respectu, primus, nomine non minùs ac re, famâque & potentiâ longè latéque diffusâ, magnus, & excellens: pietate, omnimodâ virtute, & eruditione, rerumque multiplici cognitione, cordatique pectoris industriâ, & infractæ mentis constantiâ, multo magis insignis, magisque prædicandus quàm opum luxuriâ & amplitudine, regnorumue aut satellitum copiâ aut varietate; quibus tamen Europæorum, aut Barbarorum potentissimos principes, spacioſissimo interuallo ac intercapedine anteit & exsuperat.

Epitome laudum Regis, quæ postea fusius dilatantur.

Cuius laudes ego præterire & reticere mallem, vt fœliciſſimis ingenijs impares, quàm eadem tenui & incultâ sermonis supellectile exponendas

Scribentis excusatio quòd ingenio impar ita tentaue it & molitus fuerit.

ſuſcipere, eóque pacto ipſas in ſe lucentes, polluere, & caligine ſqualentis orationis offuſcare; niſi quòd ex tantâ rerum vbertate, pauca delibare, res ipſa & præſentis inſtituti neceſſitas alioqui reluctantem cogeret, & intra fida ſilentij caſtra deliteſcere volentem, in campum hunc pertraheret: Quare, quæ Mœonij carminis alite, & Cecropio cothurno, promulganda eſſent laudum præconia, ea humi ſerpens, ſtylo timido, & oratione, ex inopis ac ſterilis venæ ſcaturigine profuſâ, carptim perſtringam. Et quæ de his dicenda ſunt, ea vt ſtuporis, & admirationis teſtimonia potiùs emitto, ſtimuloſque excultioribus excitandis, qui eadem patulis faucibus eloqui poſſint, profero, quàm vt facultatum mearũ anguſtiâ, & tenebris, tam immenſas opes, vel animo meo complecti, vel alijs retexere, & ſcriptis conſignare coner.

Cui autem priſcorum ducum eum potiſſi-

potissimùm conferre aggrediar? cui parem aut imparem ostendam? Hæret animus, & in ipso libelli vestibulo, & limine rei ambiguæ, & incertæ sinuosis latebris, distracta, & attonita mens vacillat. Hoc pro rato teneo, hoc multis indicijs, singulis exploratum est, nullum esse verum, veri & probati Regis ornamentum, nullum insigne sceptri, quod in eo desideretur, nullam germanæ administrationis partem, quam pro votis omnium abundè non expleuerit; cuiusque non modò vestigium, toto vitæ tramite expresserit, sed etiam ad cumulatissimæ gloriæ, quæ Regalium virtutum cohortibus stipata, inde promanare solet, fastigium peruenerit. Quanta suscepit? quæ præstitit? quàm vario discrimine defunctus est? quas molestias deuorauit? quos improborum furores sustinuit? quæ tela excepit? quæ facinora edidit? quàm ingentia & luculenta dexteritatis suæ monumenta

Actionum Regis compendium & Synopsis.

dictis, literis, & factis, quasi æneis & perennibus tabulis insculpta, commisit? quos pios & bonos non conciliauit? quos facinorosos & profligatos domi & foris, non perterruit, & solo prostratos sub pedibus calcauit? Si de pietate quæritur (quæ genuinæ laudis apex est & culmen, basisque & statumen maiestatis,) Is sinceræ fidei, & obsequij diuini æternis Legibus, non minùs se teneri & constringi, compertum habet, quàm infimum ex plebe: maximamque honoribus suis accessionem, & cumulum futurum existimat, si Regi Regum, qui in supremo solio, inuictus considet, virgam, fasceſque suos, & augustum diadema, humilis subijciat; eáque ratione ad sanctissimi *Dauidis*, fatidici regis, *Ezechiæ*, *Iosiæ*, *Iehosaphati*, *Constantini* Magni, *Theodosii*, *Numæ*, *Pompilij*, & *Antonini* Pij regulam, tanquã ad *Polycleti* normam sese componit. Et vt Deo iugiter animi submissionem

Pietas Regis

Pietas & humilitas Regis.

nem

nem præstat, sic puris Dei cultoribus, manſuetudinem exercere nuſquam obliuiſcitur. Inſuper ad reſtauranda & propaganda collapſæ religionis pomœria, & ab hæreſium fermento, errorumque ſordibus, perpurgandam aream Domini, totum ſeſe appuliſſe, nemo eſt qui non animaduertat: qua in re acerrimum inſtigatorem habet & ſapientiſſimum inſtitutorem, paſtorem ſuum probatiſſimum, Dominum *Patricium Gallouay*, virum omni laude cumulatiſſimum, & iam multis ſuæ maieſtati luſtris cognitum & perſpectum, qui tali apud eum in pretio habetur & loco, quali *Gad* & *Nathan* apud *Dauidem*, *Zadok* apud *Salomonem*, *Ambroſius* apud *Theodoſium*, & ſynodi Nicenæ ſinceritate, & fide notiſſimi patres, apud *Conſtantinum* conſtituti fuerunt. Idcirco tum à veteribus, tum à nouis Idolomaniæ ſpeciebus, libera exultat Regis noſtri tota ditio: non baiulatur illic tabernaculum

Rex vere religionis inſtaurator & aſſertor.

Veteris superstitionum nominatissima genera, ex Britannia delata.

lum Moloch, aut sydus Dei Remphã, non polluitur terra Topheto, & valle Benhinnom: omnigenûm deûm mõstra & simulachra, Dij maiorum gentium, & minorum, penates, lares, indigites & Heroes, aliáque innũmera somnia exsibilantur; toti exercitui cœlorum non exhibetur thuribulum, neque mactantur victimæ & holocausta; pessundatur Dagon, altaria Bahalis concidunt, vitulus in cinerem abit, & anathemati deuouetur; exulat Astheroth; Reginæ cœli non coquuntur placentæ; Bel, & ignis Babyloniorũ in terram Sinaaris amandantur; obscœna bonæ Deæ, & teterrima Cereris sacra vltra Sauromatas, & mare glaciale relegata sunt; Soli Persarũ nullæ hostiæ immolantur; Thammuth solenni luctu caret; Apis & Serapis, Isisque & Osyris exploduntur, aliáque Ægyptiorum deliramenta, & prodigia, in hortis & aquis nascentia, consepulta iacent.

O infœlices populos quibus hæc naſcuntur in hortis *Iuuenalis.*

Numina ! ait Satyricus ſenſu etſi non verbis.

Iunoni nulli honores adolentur, neque *Gradiuo* libamina dãtur. Et vt antiqua, ſic recentiora abominationum virulenta, & aconito infecta pocula reijciuntur: Atheis & Papicolis communi aëris hauſtu interdicitur; quos fœdifragos & aſſiduos perduellionis fabricatores, non ſemel deprehendimus, & nullo iureiurando aut ſacramento contineri multoties vidimus: Qui vt irrepere identidem tentent, & nullum non moueant lapidem vt hiſcere poſſint, fruſtrà tamen, ideóque re infectâ conatus deſerunt. Cum præfractis Iudæis, nullum commercium, nullum contubernium; Turcarum *Mahumetus*, & Perſarum *Mortus Ali*, eorumque incantationes ad Eurum receſſerunt, & ad Mecham & Medinathaldin tranſuolarunt. Vbiquitarij,

Nouarum & veterum hæresium variæ species

rij, Anabaptistæ, & falsò sic nuncupati, Lutherani, cristas exerere non audent. Iudæi cum Samaritanis nullo connubio, nulla consuetudine copulantur. Sadducæis, Pharisæis, & Essænis, iam olim in profundum defossis, capistro ora obstruuntur. Arriani, Samosateni, Eutychiani, Ebionitæ, Manichæi, Macedoniani, Pelagiani, (quorum consortes hodie sunt Pontificij) alijque innumeri primitiuæ ecclesiæ hostes conticescunt, nec delirare, aut strepere ampliùs audent. Omnis impietas conculcata & labefactata, iacet: Arioli, Pythones, Præstigiatores, Veneficę, Aruspices, Chaldæi, Necromantæ, Hydromantæ, Magi, Fascinatores, iecoriscque inspectores, capite mulctantur, opumque dispendio, & proscriptione plectuntur.

Satanicæ artes ex Britanniæ finibus ejiciuntur.

Virg. in Æneide.

Procul ô procul ite profani——
Cõclamat princeps, totoq; absistite regno:
Nec quisquam appareat, aut audeat ap-

appellari

Troiugena, interpres diuûm, qui numina Phœbi,
Et tripodas Clarij, Tauros, et sydera sętit,
Et volucrum linguas, & prapetis omina pennæ.

Et vt ista sceleratorum hominum genera, extremis supplicijs puniuntur, sic omnis blasphemiæ impuri authores & patroni, Regis terrore coërcentur; & quas in Epicuri harâ didicerûnt, & in suis gurgustijs, Phrygio, Lydióque modulamine concinentes, subinde crepare solent, obscœni voces porci, eas iam tandem palàm euomere desinunt; quales fœdo corde, vt sempiternas suæ turpitudinis, & spurcitiæ notas, eructauit infamis & rabidus ille canis, vespertilione cœcior *Lucretius*, multorum tamen animis si proferre ipsis liceret, exitio paratis, irradicatas & inueteratas.

Quare (ait iste nebulo) *religio pedibus subiecta vicissim* *Immanda Lucretij vox*

Obte-

Obteritur, nos exæquat victoria cælo?

Et vnius *Iphigeniæ*, ad Aulidẽ Bœotiæ portum, à phreneticis Danais in Troiam tendentibus, mactatæ exemplum, ad omnem religionem extirpandam, insanus accommodat, multo ipse, grauiori & citatiori maniâ, à recto rationis tramite, in deuias orbitas traductus. Talibus Chimæris & Hydris, beato hoc Regis nostri sæculo, proloqui nefas: his scorpionibus, & amphisbœnis, aculei vtrinq; mortiferi, obtunduntur. Deum cœli & terræ, Deum spirituum omnis carnis, vnum, solũ, verum, & personis trinum, & IESVM CHRISTVM redemptorem, & vnicam scelerum expiationem, veneramur & adoramus.

Epiphonema Vt animi mei affectus in te exæstuant & ebulliunt, ô gentis nostræ spes & columen Rex maxime! cuius auspicijs & fauore, tanta nobis obtigit fœlicitas. Reliquus orbis (hem miserum) Cimmerijs tenebris inuoluitur,

uitur, & atræ noctis vmbrâ, vdoque & nebuloso cœlo premitur: nos tantâ serenitate, tam optabili, & blandâ aurâ fruimur, tam tranquillè Mannâ cœlitus delapsâ, & animi delicijs vescimur, vt Satanæ & apostatis, inuidiæ morsu, rumpantur ilia, suarumque artium fucatis dolis & technis, quasi subterraneis cuniculis, è tam placido statu, nos deturbare moliantur; & ipsi, quamuis irrito conatu, perspicacissimos, & planè lynceos oculos perstringere, incassùm tentent: quibus Satanæ ministris, & archisynagogis, heu scatent hæc malè ominata tempora. In irriguo domini vireto, & amœnis aruis, zizania, lolia, lappæ squalentes, horridæ spinæ, & tribuli, & rigentes cardui, magis magisque indies pullulant, & messem, semenq; iactum minantur suffocare. Errantia astra, è firmamento, vt arida & decidua à truncis folia, labuntur, stationemque & sedes suas, præcipiti casu amit-

Lilior & rabies improborum qui tantis bonis macrescunt.

Apostasia huius seculi

amittunt: & nubes sine imbre, magnam spiritualis annonæ ingruentem penuriam, denuntiant. Succurre IEHOVA, succurre! & Regis tui animosam dexteram, his Tygribus & Colubris (qui malitiæ exuuium nunquam deponunt) mirum in modum infestam, vt scuto & vmbone, ope tua fulci & corrobora, vt validâ manu, prout incœpit, Sionis, & sui implacatos osores, pergat radicitùs evellere, & ad extremum vsque persequi. Næ si redituus sisteretur *Maro*, de eo potiùs quæreret quàm de *Augusto*!

Deploratio tantarum calamitatũ

Maro in Georg.

Anne nouum tardis sydus te mensibus addas,
Qua locus Erigonem inter Chelasq́, sequẽtes
Panditur; ipse tibi iã brachia contrahit ardẽs
Scorpius, & iustâ cœli plus parte relinquit.

Et nos ad easdem voces effundendas, amor raperet, ni talia figmenta iam olim exoleuissent, & locus ille vacuus & inanis, inter Virginẽ & Scorpionẽ Zodiaci signa (quorum hîc meminit Poeta) nouæ constellationis interpositione,

positione, iampridem repletus esset. Porrò, quæ ex his omnibus arguitur, sanctitate, vt optimorum similis est, sic pessimis & perditissimis, Herodi, Pharaoni, Senacheribo, Antiocho Epimani, & Mezentio, dissimilis est & dispar; & Iugurthæ, quem irreligiosus erga Masinissæ liberos, Atherbalem & Hyempsalem fidei suæ commissos orphanos, affectus, in foueã quam alijs struxerat, pertraxit. Et hinc euenit vt assertoris fidei piam & nobilem prærogatiuam, vt elogijs suis aptissimam & congruam, à maioribus Angliæ Regibus deriuatam æquissimo iure sibi tribuat.

Iniquitas & perfidia Iugurthæ. Salustius.

Quo religionis munimine tanquã aheneo muro circumuallatus, ab omni discrimine tutus & securus quiescit, & multò tutiùs, quàm si Mauri iaculis & arcu, aut præsidiarijs copijs, quæ ei affatim suppetunt, instructus & munitus siet. Hinc est, quòd imperterrita illius fortitudo, & intrepida au-

Fortitudo & magnanimitas Regis.

Fortitudo & audacia Regis.

audacia, omnibus sint pro miraculo: cor vinci nescium, & metus expers, nullis tragœdijs (quas quàm immanes expertus est?) nullis ingruentium tempestatum molibus concutitur, & paternam illam Dei vocem, quâ suos omnes, & Iosuam confirmauit, elabi, aut animo exidere, non patitur: *Non deseram te, neque derelinquam te.* Et secum reputat Cæsaris illud, ne contremiscas, Cæsarem vehis: vultusque aut corporis sui vmbram, ad omnes inimicorum insidias propulsandas, & nefarias artes eludendas, satis esse existimat, vt non absimili voce Cęsarem prædones marinos, quamuis sui potitos, perculisse accepimus. Et quemadmodum Struthiocamelus ferro, Salamandra flammis pascitur, sic ille, omne genus turbarum incunctanter deglutit; & sicut palma pondere, sic ille aduersis erigitur; & si ex bello aut aliunde periculum quodlibet immineat, terga dare, fugámue capessere, aut pro-

In epist. ad Heb. & in Iosua.

Patientia & constantia Regis.

procellæ impetum detractare, prorsus nequit: & quod de quodam duce græco vates ille cecinit, nostro multo veriùs applicari & adaptari possit:

——— Εν προμάχοισι μενει (ται,
Νωλεμεως, αισχας δι φυγης επι παγχυ λαθη-
Ψυχλω, ϗ θυμον τλημονα παρβαιτος.

id est,

Inter pugnantes in prima acie manet,
Constanter, turpisq; fugæ prorsus obliuiscitur,
Vitam & animam patienter, obijciens periculo.

Quâ mentis constantiâ quàm similis est generosissimis *Horatio Cocliti*, *C. Sempronio*, *Nasicæ*, *Scævolæ*, *Marcello*, & nunquam satis decantabili, *Sicinio* dentato, & *Gobryæ* Persæ: tam longè ab ignobili effœminatorum principum vecordiâ recedit, quorum meticulosas conscientias scelerum recordatione exhulceratas adeò diris cruciatibus Eumenides torquent, vt ad solij agitati strepitum, continuò expauescant & amentia corda horrore palpitent. Quales fuerunt *Dionysius* *Principes pauidi.*

Sicilię tyrannus,& *Caligula*,in quibus vulnus illud pungentis conſcientiæ adeò incruduit, vt nullis voluptatum illecebris,ad cicatricem perduci potuerit:hic,audito tonitru,in terrę cauernas,& occulta antrorũ latibula protinus receſſit; ille eò vſque proceſſit inſaniæ, vt thorum foſſâ ponte ſtratâ, & mœnibus circundaret, ne vxori quidem fidens,niſi præfixo tempore, neque volens guttur tonſori, aut nouaculæ fauces committere; filiabus ſuis,(vt ait Cicero) vile miniſterium demandauit, quæ candentibus & inflammatis nucum putaminibus, parentis barbam abſumpſerunt, & pro tonſtriculis patri fuerunt. Is vitæ regniq́ue pertæſus, quendam qui hianti ore beatitudinem regis, & diuitias extollebat, grauiter increpans, ego inquit proſperitatis meæ, quæ te tantopere mouet, imaginem commonſtrabo, & virum molliſſimo, & exquiſitâ arte elaborato thoro collocauit, menſamque

Hiſtoria de ridicula Dionyſij puſillanimitate.

Cic.in Tuſcul. quæſtionibus.

sámque lautissimis epulis, & raris dapibus refertam appositit, ambrosiúmque odorem exhalante thure ædes consperſit, tum focum ex cinamomi lignis extruxit; tandem verò supino iacenti gladium euaginatum seto equino nitentem, appendit, quem cum homo in sua viscera ruiturum expectabat, sese in medio luxu miserrimum fuisse exclamabat. Et talis, inquit Rex, est mea conditio, quam tam elatâ voce nuper efferebas. Nostrum verò signiferum, vt mens bene sibi conscia magnanimum reddit, sic improboſq; & flagitioſos vel nutu compescit. Et qualiter Messenios & Scythas, seruos rebellantes, & ad dominos in patriam reuertentes, expellendos, collectâ manu coactos, non ensibus, hastis, aut telis, sed plagis & fustibus repressisse, & castigasse legimus: sic ille, efferatissima latronum agmina domi grassantia, non acie, non turmis, sed reuerendo legum ictu in ordinem

Iustinus ex Trogo Pompeio. Scytharum & Messeniorum magnanimitas.

reducit, & pertinaciſſimos hoſtes alibi tumultuantes, non exercitu, non numeroſâ phalange, ſed ſolo glorioſi nominis radio confundit & conterit: etſi armis quis mortalium nunc in terris viuentium, cum eo contendat, vbi res talem apparatum efflagitat? idem iuſtitiæ rigida executione in maleficos, *Æacum*, *Minoem*, & *Rhadamanthum* imitatur. Hinc inaudita *Pax* ſubditorum, & tranquillitas, quę quaſi Zephyrus, lepido afflatu ſpirans, vtriuſque gentis incolas rerum nouarum metu trepidantes, & ab inteſtinis, & externis ſeditionibus iam tandem reſpirantes, oblectat & exhilarat, & vt ait Propheta, *Vniſque ſub ficu & vite ſuâ recubat.*

Pax ſubditorum ſub tali Rege.

——*Nunc cœlo terras Aſtræa relicto*
Incolit. Et vt ait Flaccus Lyricus:
Condit quiſque diem collibus in ſuis,
Et vitem viduas ducit ad arbores,
Hinc ad vina redit lætus.

Horat. in Odis.

Britanni ab inteſtinis & externis diſſidijs immunes.

Nunc foſſas olim ſanguine inundantes

tes & exuberantes, exſiccatas cernimus:

Quis Germania quos horrida parturit
Fœtus incolumi (noſtro) *Cæſare, quis feræ*
Bellum curet Iberiæ?

Iam templi Iani lethales, & portentoſæ fores, arctis obicibus occluduntur, vt *Auguſto* viuente, & vno ex tribus bellis Punicis abſoluto:

Aſpera nunc poſitis miteſcunt ſæcula bellis, *Virgil. in Æneid.*
——diræ ferro, & compagibus arctis,
Clauduntur belli portæ, furor impius intus
Sæua ſedent ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergũ nodis, fremit horridus ore cruento.

Nunc non canimus cum Lucano, *iuſque datum ſceleri*, ſed ius ablatum ſceleri, quia nunc clauum tenet, & moderatur, noſtriſque negotijs præeſt Rex tantus *Lucanus in bello ciuili.*

Imperiũ oceano, famã qui terminet aſtris.

Et quæ olim Romani Imperatoribus & Cõſulibus ſuis conceptis votis precabantur, amor Auguſti, ſucceſſus

Africani, latitudo ditionis *Pompeÿ*, aut *Traiani*, ea ad noſtrum illuſtrandum, iunctis manibus ſimul concurrunt. Neque de eo ita ſermo habetur, vt in *Xenophontis* Cyropaideiâ, de ſecundo Cyro, quo opere (ut ait *Tullius*) *Xenophon*, accuratè & perpolitè boni principis effigiem adumbrauit, ſed Ideam tantùm depinxit, non quòd tale quippiam, tam magnificis & præclaris elogiis reſpondens in Cyro voluminis ſubiecto reperiretur. Aſt de noſtro quæcunque perhibentur, vel maximè ſublimia (nedum futiles hæ, inſcitiámque & ignauiam ſpirantes voculæ) longè infra rei merita & dignitatem ſubſident. Hinc mirus, quo in ipſum ſuorum præcordia flagrant, amor, quóque tanquam extenſis lacertis ipſum amplectuntur, (perditos excipio qui tam ſecundis rerum euentibus, liuore contabeſcunt, & curis improbis afflicti, emacerantur:) quo ſubditorum tam procliui

Cic. ſententia de Xenophontis Cyropaideia.

Veniam tenuitatis ſuæ petit ſcriptor

cliui amore, cum heroico ipſius ſpiritu dextras iungente, vt *Nabuchodozor* (quem *Megaſtenes*, ſcriptor grauiſſimus, *Herculi*, non obſtante duodecim laborum famâ, finium dilatatione prætulit) omnium ceruicibus iugum impoſuit, vt *Cyrus* finitimos perdomuit, vt Romani Aquilam ſuam per totum orbem, & ad *Gades* vſque & ad fretum Herculeum circumtulere, & in Pyrenæis jugis virium ſuarũ trophæa fixere, vt *Alexander* fulguris coruſcantis more Aſiam peruolauit; vt *Seſoſtris* Ægypti Rex, in Scythiam vſque inoffenſo pede progreſſus eſt, vt Oriens *Libero*, Occidẽs *Herculi*, vtriq; Thebano, in prædã ceſſit; tam facilè, & obuiũ eſſet illi, Nilum, Euphratem, Gangem, Rhenum, Rhodanum, Padũ, Oceanum, mare Mediterraneum, Alpes, Taurũ & Caucaſum montes, adeóque omnem terram, ſignis & victorijs ſuis luſtrare, niſi regni fines iuris & æqui finibus & cancellis termi-

Megaſthenes

Probatur et ſimilibus exemplis illuſtratur facile eſſe Regi vniuerſum orbẽ ditioni ſuæ adijcere, niſi à malè partis & nefariè quæſitis vltro abſtineret.

Florus.

minandos duceret. His te vocibus iteratis excipimus, Io triumphe, Io triumphe: Tibi litui, tubæque ſonitus præcat, te clangant claſſica, te cãtionibus, & odis lyricis concinant, quibuſcunque Philomelæ fautes datæ ſunt. Tuis viarum cõpita laudibus ſtrepant, te cytharam pectine pulſantes eburneo chordis applicent, de tuis factis, profeſtis & ſacris dicbus, & circa pyras crepent.

Clementia Regis.

Cæterùm, amorem nutrit & fouet *Clementia*, & ad ignoſcendum fontibus prona & prompta volũtas; quæ in *Dauide* talis extitit, vt ſimilis in terris rarò inueniri poſſit; in *Cæſare* non parua, vt de nullis qui in campis Pharſalicis, ad ipſum oppugnandum prodierant, vindictam popoſcerit. Talis fuit & *Titus Quintus Flaminius*, qui vniuerſæ Græciæ libertatem reſtituit, vbi Romanorum arbitrio ipſam ſubiecisſet, & ab immanibus tyrannis ipſam eripuiſſet, & idcirco Græciæ liberator dictus

Plutarchus in vitis virorum illuſtrium.

dictus est. Noster autem tanta clemẽtię suæ testimonia edidit, vt nunc passim percrebuerint: & has voces nunquam libens profert; *I lictor, colliga manus, caput obnubito, & à ceruicibus amputato, aut arbore infœlici suspendito.* Nullus est qui in ipsius clientelam sese recipiat, qui in ipsius benigno lumine refugium & asylum non consequatur; & in hoc tam sui proborũq; principum similis est, quàm improbis dissimilis: vtpotè *Mario, Marco Coriolano, Adonibezeko, Busiridi, Cambysi, Epiphani, Neroni, Syllæ, Tarquinijs, Pisistrato, Astyagi, Amulio,* & alijs eius farinæ, crudelitate defamatissimis viris; & vt talibus hominum monstris misericordiâ dispar est, sic etiam à truculenta & volubili plebe, Hydrâ Lernæâ & multorum capitum vesanâ belluâ dissentit, quæ subiectos vel turpiter repellit, vel capite aut facultatibus mulctat, aut alias eiusmodi carnificinas exercet: quod facetè exprobrat

Cic. in orationibus.

brat *Horatius*: Non ſequor plebem: cui petenti rationem detractatę ſocietatis cum plebe, reſpondet:

Horat. in epiſtolis.

——*Nam me veſtigia terrent,*
Omnia te aduerſum ſpectantia, nulla retrorſum:

vt cauta vulpes ægroto leoni quōdam reſpondit. Clementiæ comes eſt, *Ira facilè placabilis*, niſi atrociſſima fuerit noxa, quod in viris magnis verſu ex *Platonis* officinâ deprompto, elegan-

Ira Regis ſedari prompta.

ter commendat *Naſo*:

Ouid. ex Platone.

Quo quiſq; eſt maior, mage ſit placabilis ira,
Non facules motus mens generoſa capit.

Nec placabilis modò, ſed lentus, & tardus eſt ad iracundiam; in quo *Alexandrum* ſuperat, qui in repentino, & turbulento excandeſcentiæ æſtu, *Clytum* & *Parmenionem*, ſtrenuos viros, trucidauit, mox ſeſe, facti pœnitentiâ ductus, dextrâ ſuâ confoſſurus, niſi ab aſſiſtentibus prohibitus fuiſſet. Talem temeritatis mercedem retulit qui tam exitialem flammam inſtar

ſtar leuis ſtipulæ, tam ſubitò cõcepit.

Ad *Eruditionis* expromendas opes, dum verba nitor excudere, materiæ pondere aggrauata mentis robora fatiſcunt, & preſſa ſuccumbunt, languet muſa, ingenijque acies, quaſi torpedine percuſſa hebeſcit & ſilet. Et vt ſolis radijs reliquæ ſtellæ obſcurantur, ſic nimio tantæ lampadis oppoſito fulgore, exiguæ meæ faculæ lux protinus caligat, & vehementis obiecti cõtemplatione debilitatus ſenſus contunditur, & morem gerere recuſat; cumque de *Achille*, *Homerum*; de *Auguſto*, *Maronem*; de *Scipione*, *Ennium*; de *Cæſare*, *Cæſarem* ipſum; de Heroum laudibus *Flaccum* aut *Pindarum* loqui deceat: iniquum eſſe cauſatur in hanc prouinciam pertrahi, quâ defungi nequeat, & tantæ molis onus tremens auerſatur. Tamen vt latentia *Maronum* & *Mæoniorum* ingenia, è latebris ſuis excîta, prodire cogantur, quod viuis ſuperinductis coloribus, ex-

Eruditio Regis.

Author, ſuæ conatus culpam & reatum deprecatur.

expolire nequeo, eius rudia quædam lineamenta, titubante & balbutiente calamo, pingui mineruâ commonstrabo, reliqua *Fabijs* & *Apellibus* relinquens.

Quanta præstat in Theologia.

Si de *Theologia* inquirimus (cui reliquæ disciplinæ ancillantur;) eius argenteos & salutares latices, copiosè hausit & imbibit, eius vndis non tantùm labra admouit, sed totũ sese proluit. De penitissimis salutis nostræ mysterijs quam doctè, quam disertè ratiocinatur? Quis, etiamsi Regiam maiestatem seponat, cum eo congredi, aut in arenã descendere velit? Quis non nomine periclitetur si cum eo manus conferat? Quanto valet iudicio! quantis laboribus desudat! quam indefessus lectioni incumbit? quam sedulò lecta & intellecta in memoriæ penu, & gazophylacio reponit? Reposita, vt fidelis custos, & promus cõdus, ad manum ei pro animi sententiâ ad quaslibet opportunitates, promptè sug-

ſuggerit,& ſubminiſtrat? quem in hac ſacroſanctâ prouinciâ vel emeritiſſimum militem,& diutiſſimè verſatum, non efficiat attonitum? Quis ex Pontificijs (locuſtis ex barathro infernali prodeuntibus) in ipſius conſpectu oris clauſtra reſerare audeat? Vt fucata Sophiſtices velamina detegit! Vt prę-ſtigiatorum ſubdolas artes patefacit! Vt impoſtorum fallacias callidas, ac occultas, cœlo, ſoloque, irridendas proponit! Vt verſipelles errorum propugnatores, Chamæleontes & Proteos, ſuis artibus vt laqueis irretitos, prudens capit! Et quos illi Lucifugæ *Gordianos* nodos putant, acumine ſuo vt *Alexandrino* enſe confeſtim laxat. Quoties eum magnâ reuerentiâ recondita diuinitatis arcana indagãtem, & eruentem audiuimus?

Acumen Regis mirabile in detegendis pontificiæ cæcitatis nebulis eorumq́, erroribus refellendis.

Et vt Dominam callet, ita neque pediſſequas ignorat: ignorat? imò pro linguarum & artium magiſtro æſtimari poteſt, linguis vtitur perinde ac

Idiomata multa tenet ac vernaculâ familiariter, Latinâ, Gallicâ, Italicâ, neque Græcæ expers: in Politicis hiſtorijs tantum valet, ac ſi ſaxũ illud perpetuò voluiſſet, & quod præcipit *Claudianus*, haud ſegnis exequitur.

Claudianus. *Tu* (ait ille) *quamox imitere legas, nec deſinat vnquam*
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetuſtas.

Rex rerum experientiâ pollet. Qua crebrâ & diligenti lectione, non minùs rectè hominum mores obſeruare & diſcernere edoctus eſt, quàm *Ithacus* peregrinando,

Homer. in Odyſſea. Ὃς πολλων τε ἀνθρωπων ἰδεν ἀστεα καὶ νοον ἔγνω.

Rex humanarum diſciplinarum (illiberalibus exceptis) abditiſſimos fontes guſtauit & imbibit. In *Philoſophia*, & Phyſicis rude donatos ſuperat: Logicam ab ortu, & veberibus maternis, citra artis adminiculum, aſſumpſiſſe credere fas eſt; neque Medicinæ cognitionem aſpernatur, aſt eam ad vnguem tenet: Grammaticæ, Rhetoricæ, Poëticæ, editiſſimum culmen attigit. Ethicæ, & Politicæ doctor eſt, & exemplar, ad cuius regulam aliorũ politicorum dogmata, tanquam

tanquam ad amuſſim, aut Lydium lapidem, exigi poſſunt. Alias artes vt vetitas & illicitas, aut celſitudine ſuâ indignas rejicit & ſpernit. Hic *Moſen*, diuinum illum, & ſuauiſſimum vatem, Spiritu ſancto afflatum; hic *Dauidem* ſacrum & mellifluum illum lyricum, & ſanctarum fidium, cytharæque pulſatorem imitatur, & *Schelomonem* qui (vt tradunt Scripturæ) *eloquutus eſt ter mille ſententias, fueruntq; cantica eius quinque ſupra mille. Eloquutus eſt etiam de plantis, à cedro quæ in Libano, vſque ad muſcum qui prodit è pariete. Deniq; eloquutus eſt de iumentis & volucribus, & de reptilibus & de piſcibus.*

Huius etiam virtutis ſplendore, *Ptolemæi* Philadelphi, *Caij Cæſaris* & *Auguſti*, nec non *Conſtantini*, *Aureliani*, *Iuſtiniani*, & *Leonis* Imperatorum, inſuper *Cræſi* Lydiæ, *Alphonſi* Hiſpaniæ, & *Artuaſdis* Armeniæ Regis, literatiſſimorum principum, noſter æmulus exiſtit. Sed quo tua opera

Principes doctrinâ illuſtres.

piaculo taceam? Enimuerò quos intus habet doctrinæ thesauros, eorum monumenta scriptis & lucubrationibus, vt characteres lapideis aut lateritijs columnis insculptos, ad posteros transmisit, scripsitque complura volumina omnis eruditionis cultu referta, nec cedrum, nec thus timentia: quorum hæc est synopsis ex parte, *Commentarius in 20. caput Apocal.* libellus de reductione arcæ à *Philisthæis*, ex 1. *Sam.* cap. 6. Dæmonologia, quam quidam *Belga* latinè transtulit: Βασιλικον Δωρον ad filium primogenitum (*qui est magnæ spes altera Romæ:*) *de strage Turcarum ad Lepanthum, siue Naupactum* insulâ, Codicillus: quem *Bartassius* Gallicè traduxit: *de Prosodia Scotica: de monarchiæ libertate: quædam opuscula Bartassij in Idioma Scoticum commutata: Poemata nonnulla: Paraphrasis in Apocalyp.* &c. Quæ omnia ex sua thecâ & pharetrâ desumpsit, neque vt multi, qui ementitis authorum

Scripta Regis.

Suffarcinata aut aliunde emendicata multorũ scripta taxantur.

rum nominibus aliena pro ſuis obtrudunt, vel aliunde argumenta mendicant, & ſuffurantur, aut ſuffarcinatas voculas euentilant, ad quos pertinet illud *Horatij:*

At ſi fortè ſuas repetitum venerit olim *Horat. in Epiſt.*
Grex auiũ plumas, moueat cornicula ri-
Furtiuis nudata coloribus. *(ſum,*

Macte eſto regum & virorum ingenioſiſſime! cuius ego mentem dum enucleare conor, inexplicabilis labyrinthi imperuias & perplexas ambages ingredi videor, vnde nequirem exire, niſi gratâ ſui vultus aureâ, tanquam *Ariadnæ* filo ductus, paulatim recrearer, & expectato ipſius fauore, tanquam Zephyro & Fauonio leniter afflante, greſſus æſtu & laſſitudine vacillantes, denuò confirmarentur.

Eum verò quiſquis æmulari ſtudet, *Regis ſtylus inimitabilis*
Cæratis ope Dædalæâ,
Nititur pennis, vitreo daturus *In Odis.*
Nomina ponto.

Et hoc loco ornatiſſimum *D. Petrum*

D.Pet.Iunius Regis institutor.

Iunium, regis institutorem præterlabi sacrilegum esset, cuius cura industriáque, tum ad eloquentiam & literaturam, tum ad omnem mentis cultum, regi non vulgare adminiculum & subsidium præbuerunt: qui ad tam liquidos latices & riuulos eum adhuc tenellulum deduxit, qui Heleconiadum Nectare, & ambrosio succo eum penitus irrigauit, qui ad Pernassi cacumen & Caballinas lymphas ipsi callem ostendit. Prçceptor magnus alumno & discipulo termaximo, quanto nisu efferendus? Id regi præstitit quod suis *Socrates*, id est quem bene natum assumpsit, eum sibi multo meliorem, nec libertate, nec re imminutâ restituit. Nec operam lusit *D.Iunius*, quippe quos instillauit testæ recenti fragrantes odores, eos pertinaciter seruat, & nouis imbuitur. Quantum præbet lac nutricis, infantuli à mammis pendentis, offibus, cuti, & neruis, tantum Doctoris monita ad rasum & rude

rude adoleſcentis ingenium tranſmittunt; vnde cernitur Regem, vt in corpore, ſic in mente, lacte ſaluberrimo & optimi ſucci perfuſum fuiſſe, cum vtrinque (Deo gratia ſit) tam lętus ſit, tam ſanus & vegetus, tam parùm infirmus & valetudinarius.

Idem Regi naturæ inſtinctu acutiſſimo, pro cote fuit: atque eum ita informauit, vt *Ariſtoteles* ad *Alexandrum* ſcribens, ait *Achillem* à *Phœnice* cuſtode & monitore edoctum fuiſſe; nimirum

μῦθων τε ῥητῆρ' ἔμμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

Legationibus quoque varijs ſumma cum approbatione ad Regem Danię delatis notandus eſt; quibus etiam beati inter Regem Reginamque initi Matrimonij procurator, ſuaſor & interceſſor erat. Legationes, inquam, obijt ad Daniæ Regem *Fredericum* ſemel, ad *Chriſtianum*, ad *Hulricum* Ducem Megalipolitanum ſemel, ad Saxonię Ducem Electorem ſemel, ad

Marchionem Brandeburgensem electorem semel, ad Holsatiæ ducem *Iohannem Adolphum* semel, ad ducem Brunsuicensem bis, ad ducem Luneburgensem, ad *Mauritium* Hassiæ Lantgrauium semel; à quibus singulis lautia siue honoraria accepit, amicitiæ tesseras, torques cum Iconibus auro puro affabrè insculptis; eáque ipse instar πειμηλίων custodit: ea & ipse oculis vidi. Hinc qualis sit & quantus, quam fidus, quam prudens colligere promptum est, cuius contubernium, tantis optimatibus tam iucundum fuit, & delectabile. Insuper, qui à studijs & legationibus Regi erat, is nunc quoque à consilijs, eleemosynis, atque à rationibus permanet, vir fide, eruditione, atque experientiâ rerum notissimus, atque equestri dignitate insignitus est.

Amor Regis erga viros dotibus animi nobiles.

Nec solùm Rex ipse doctus est, sed & doctorum amantissimus & studiosissimus, eósque amabili & sereno vultu,

vultu, nõn minùs ac Regiæ munificentiæ nobilibus donis, ornat & dignatur, in delicijs habet, & si prudentiam comitem doctrina habuerit, in conclaue & consilium admittit. Quali in pretio, habuit *Philadelphus* Septuaginta *veteris Testamenti* interpretes, *Alexander Homerum*, post fata, & multo ante defunctum, *Traianus Plutarchum*, *Cato Censorinus Carneadem*, *Mecœnas Flaccum*, *Philippus Stagiritam*, *Augustus Maronem*, *Mithridates Platonem* (Academiæ & Lycęi decus) mortuum, & *Metrodorum*; *Archelaus Euripidem*, *Cyrus* vltimus *Xenophontem*, *Cræsus Anacharsin* Scythã, beneuolentiâ prosequutus est: sic *Marcellus Archimedem*, post funestam Syracusarum obsidionem & excidium, quem ingenti luctu extinctum planxit, eiusque manibus honorificè parentauit: sic *Pompeius Possidonium* febricitantem cum inuiseret, pro foribus eius lictorios fasces deposuit: sic

Thales Milesius ex coitu lunæ cum Sole sub linea ecliptica (quẽ breui futurum præuidebat) Solis eclipsin Medis & Persis præsignificauit, eoq; argumento veluti miraculo, aut ostento inusitato, bellũ meditantes mitigauit, & pacatos in pristinam amicitiam reuocauit, & ad meliorem frugẽ. Herodotus & Iustinus ex Trogo.

Pyrrhus Epiri Rex bellicosissimus *Cyneam* oratorem dilexit, á quo dicere consueuit, plures oratione, quàm proprijs suis armis, vrbes in deditionem venisse: is enim linguæ delinimentis, eos ad *Pyrrhum* pellexit, quos hostilis ensis nequaquam pertraxisset. Tanti etiam *Cyaxares*, Mediæ princeps, *Thaletem* Milesium æstimauit, qui Medos & Persas dimicaturos & signa collaturos interpellauit, artificioque prorsus admirabili, conciliauit: cum enim ex duorum magnorum luminarium aspectu & motibus, lunam cum sole sub ecliptica linea, eodem die quo prœliandum erat, coituram naturali ratione præsagiret; eclipsim solis inde futuram (vt tali casu semper euenit) præuidebat, & ni desisterent, æternis tenebris à Deo puniendos denunciauit; ita re vulgari quasi ostento quodam, ars mathematici ignaros fefellit, qui ab incepto certamine, vano aſt vtili ominis metu trepidantes, destiterunt.

runt. Haud ita cruoris & lanienæ ſitiens *Nero*, qui *Senecam* præceptorem capite truncauit, vnumque ex præcipuis imperij fulcris, falſis inſtigatus paraſitorum calumnijs, importunus ille Moloſſus ſecuri percuſſit, aut (vt malunt nonnulli) venis ſanguinis canalibus, in balneo ſolutis, lentâ morte necauit: aſt multo generoſior *Philippus* Macedo, *Demoſthenem* in perſonâ ſuâ impenſè amabat; exhorruit tamen præ cunctis Athenienſibus, eò quòd conatibus ſuis iugiter reſiſteret, gnarus fore vt ſiue vellet caduceatorẽ pro pace mitti & indutijs, vel bellũ per fęcialem denuntiari, vtrumlibet ad deſiderium mox impetraturus eſſet.

Ad hæc, vt noſter Anteſignanus ipſe plurima ſcripſit, ſic præter innumeros ex ſuis Britannis luculentiſſimos ſcriptores, plurimi etiam ex tranſmarinis & alienigenis de eo, & ad eum, penè infinita chartis poſuerunt, vt *Beza*, *Iunius*, *Piſcator*, *Mornæus*,

Ingenioſiſſimi huius ætatis viri de eo permulta ſcriptis contra ſignarunt.

næus, Bertaßius, Hemingius, Serranus in *Platonem*, omneſque noſtri ſæculi qui ſeſe inertium vulgo præſtare ſtudent, huius incudis ſtridore iudicia exacuere laudi ſibi duxerunt; vt ex omnibus Galliæ bibliothecis elici poteſt, quorum authorum nunc non occurrunt nomina. Et qui ad ſcribendũ non erant idonei, etiam honoratiſſimi remotiſſimiq; Principes, nomen eius adhuc in adoleſcentia & iuuentute, ſed nunc multo magis in prouecto adultoque æuo, honorant & reuerentur, vt Gallias Italiamque perluſtranti conſiderare obuium erit.

Spectatiſſimi Europæ principes & Dynaſtæ nomen eius ſummo colunt honore.

Salue primus omnium pater patrię appellande! primus vt in militiâ, ſic in togâ triumphum, mentiſq; & linguæ lauream merite, literarum, facundiæque parens, atque (vt Dictator *Cæſar* de *Tullio* quanquam hoſte, ingenuè quondam fatebatur,) omnibus triumphis lauream adepte maiorem; quanto plus eſt ingenij terminos in tantum pro-

Rex patriæ pater & lumen & Regum Phœnix, ingenij imperyq; coniunctis & certantibus laudibus ouans.

promouiſſe, quàm imperij, ſed longè maximum cum vtrumque præſtiteris.

Eloquentia eruditioni par eſt, & ne huius quidem fulgorem niſi motis, & conniuentibus ocellis intueri queo, ne dum dicendo conſectari; quippe firmitate eâ deſtitutus, quâ veræ aquilarum ſobolis renidentes pupillæ imbuuntur, vt Solis incendium in ipſo meridie immotis palpebris illæſæ perferant; hîc in nouam abyſſum feror & ruo, *O nauis, referunt in mare te noui Fluctus.* *Eloquentia Regis.*

Nihilo minus interim non adhuc datur verſus portum contendere, & quamuis gemant antennæ, neq; ſint integra lintea, pelago tamen iterum tentandus remus, iterumque in hoc lubrico marmore, & hiantibus vadis velificandum eſt. Sed ne ventis ludibrium debeam, carbaſa demittam, neque tam turgidis vt antea curram velis, verùm contractiori filo ſequentia di-

dimetiar. Quam iucundè & expeditè in Eccleſiaſtici ſynedrij cœtu loquitur? quam appoſitè pro foro, & roſtris, in ſubſellijs & comitijs dicit? quã dulci plectro in ſenatu modulatur? quam longè tum eos qui iura pronunciant, tum qui cauſas agunt & litigant, anteit? Vt *Arion Methymnæus*, cantus lenocinijs & canoræ vocis amœno ſtrepitu, Delphinas ad ſe vocauit, qui ipſum incolumem & ſoſpitem in medio gurgite ſeruarunt; vt *Orpheus* arbores & ſaxa pertraxiſſe fingitur, ſic noſter facundiâ ſuâ peruicaciſſimas procacium hominum mentes, & aures demulcet; vt *Tyrtæus* Spartanos diuturnis prælijs colliſos, & eneruatos, fugam & retroceſſionẽ meditantes, in aciem reduxit, & verborum pungentium morſu nouâ inditâ alacritate, vt pugnæ ſuaſor, ſic victoriæ author erat: quale & *Pythagoras* Metapontinis contra Sybaritas præſtitit: ita noſter quò vult omnium ani-

Arioni confertur & Orpheo.

animos, tanquam Genius auribus ipsorũ insusurrans, flectit & impellit? ac mente non minùs quàm linguâ bonus est, qualis vir, vt Phœnix, rara est in terris auis, vt ait *Theognis*: *Theognis.*

Νυς ἀγαθος, ἠ γλωσσα, τα δ' ἐν πωροισι πεφυκεν ἀιθρασιν.

Id est,

Mens bona, & lingua, hæc in paucis sunt Viris.

Et cum *Ithacus* facundiæ respectu *Homero* πολυμηχος, vrbium vastator, potius dicatur, quàm *Achilles*, aut *Aiax*: quàm congruâ ratione, tum verbis & consilijs, tum viribus & auxilijs superadditis, ille gentium domitor dicetur, quo audito, singuli vel pertimescunt, vel saltem conticescunt? *Quando prudentia præstet viribus & quid valeant cohærentia.*

Et cum

Iamq; faces, & saxa volant, furor arma ministrat; Si illum *Virg. in Æneid.*
Conspexere, silent, arrectisq; auribus astant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Ille Atticos & sale conditos *Ciceronis* lepõ-

lepôres, & tonitrua *Demoſthenis*, ac *Periclis* fulmina, quaſi ex alto vibrare nouit, & ei verè competit illûd *Theocriti:*

Theocritus. Ουνεκα οἱ γλυκυ μοισα κατα στομαλος χεεν νεκταρ, id eſt,
Quoniã ei muſa fundebat in os dulce Nectar:

Et ſimilis vox de *Neſtore:*

Homerus. Του δ' απο γλωσσης μελιτος γλυκιων ρεεν αυδη
Ex eius linguâ melle dulcior fluebat oratio.

Et vt apes in labijs *Platonis* adhuc infantis tenelli, dum in cunis vagiret, nidulabantur, in futuræ indolis omen, ſic in abditis Regis noſtri cordis domicilijs nidos poſuerunt; nec deeſt in orando eximia & prorſus *Socratica* grauitas, adeò vt illud de eo promulgari poſſit, quando aliquid feriò profert:

Iuuenal. ——*Barbatum hoc crede magiſtrum*
Dicere, ſorbitio tollit quẽ dira cicutæ: id eſt,
Socratem cicutæ potu interemptum.

Stylus Regis in dicendo. Porrò qui de noſtri ſtylo quærit, ei exprimendo mihi non ſuppetit conueni-

ueniens ſtylus, ſed aureis his verſiculis ob oculos eius imago ponitur:

Monte decurrens velut amnis, imbres Horat.
Quem ſuper notas aluere ripas,
Feruet, immenſuſq; ruit profundo,
Vt Pindarus ore.

Aſt ego in his euoluendis quas partes ſuſtineo, quaſue (hem miſerum) vices obeo?

—Ego apis Matinæ
More, modoq;,
Grata carpentis thyma, per laborem
Plurimum, circa nemus vuidiq;
Tiburis ripas, operoſa paruus
Verba repono.

Demum, vt hanc partem ad vmbilicum perducam, eius ſtylum ita concludo, verba aliundè mutuari & excerpere coactus:

Multâ Dyrcæum leuat aurâ Cygnum,
Tendit Antoni quoties in altos
Nubium tractus.

Et talis eſt Eloquentia.

Eloquentiæ ſummam dexteritatem

&

& flores non mediocriter iuuat, eique opitulatur tenaciſſima & omnium capax *memoria*, cui operam & ſuppetias fert exoptanda celebri diſpoſitio, & ſaluberrima totius corporis temperies. Memoriâ *Cæſari* ſimilis eſt, qui ſeptem ſcribis ſimul dictitabat, ac loquentes etiam ſine obſtaculo & hæſitatione audiebat; & *Cyro*, qui cum centum mille milites haberet in exercitu, ſingulos promiſcuè ſuis proprijs nominibus compellauit; & *Mithridati*, qui cum viginti duabus nationibus leges præſcriberet, & mandata daret, omnium populares linguas æquè ac ſuam familiariter, & ad vnguẽ callebat.

Memoria Regis.

Plinius & Ælianus.

Reminiſcentia Regis.

Memoriæ tali annexa eſt celerrima & velociſſima *reminiſcentia*, quâ repoſita non modò fixè cuſtodiuntur, ſed etiam ex inexhauſtâ animæ ſuæ arcâ, quando res exigit, ſpontaneâ mentis cogitatione, ad placitum, ſine morâ, & tædio, è veſtigio, & propero fluxu,

fluxu, expromuntur : quod quidem paucis etiam valde laudabili memoriâ præditis, ſupernè donatum eſt ; quos ideo in repentinis colloquijs impeditos, & ferè mutos videbis : quibus ſi mora, & deliberatio permittatur, elegantiſſimè & præclarè diſſerent. Nam memoria à reminiſcentia in hoc potiſſimùm ſecernitur, quòd illa diſcurſu & ratiocinatione vacet, hęc ijs nitatur.

Facetiæ & dicteria Regis, & verborum ſales

Et vt in ſerijs tam honeſtè ſe gerit, ita iocoſa & faceta lepôriſque ſale condîta dicteria ab eo nonnunquam decentiſſimè & venuſtiſſimè vſurpantur : quæ cum vrbanæ feſtivitatis plena ſint, & argutiſſimè ab eo pronuncientur, ſicut alios auditores mirificè delectant, ita eos in quos ſtringuntur & diriguntur, quaſi aculeatæ lances mordent, & rubore confundunt : & hunc etiam impetum quanquam minimè læthiferum aut mortalem, omnes tamen metuunt & reformidant ; adeò vt niſi ex gratiâ, &

comitate(cum minimè ſeuerus ſit aut rigidus, ne in communibus quidem alloquijs) conferentium infirmitati & inſcitiæ parcere velit, & à cenſurâ vltro abſtinerere, cum eo ſermones commiſcere non minùs periculoſum quàm arduum eſſet & moleſtum. Eius Apophthegmata, ſi ſuperſtes eſſet, *Plutarchus* ſuis Romanis Regalibus & Laconicis multo potiora duceret. Hic *M. Tullium*, *Hannibalem*, (qui *Antiochi* magni, de ſemiuirorum ſuorum contra Romanos enerui & debili manu, oſtentationem bellè ludificauit, vt docet *Appion* Alexandrinus:) Hic *Octauianum*, & *Amaſin* Ægypti Regem ſequitur, & *Appium Claudium*, *Metellum*, & *Papyrium* Prætextatum. Et à *Philippo* ſecundo Macedonum Rege, *Demetrij* Romani obſidis patre omnino diſſentit, qui cum hanc laudem affectaret, in procacitatem & ſcurrilem dicacitatem cunctis exoſam præceps incidit, neque ſeria à iocis diſtin-

Plutarchi apophthegmata.

Appion Alexandrinus

distinguere, aut segregare potuit. Atque hæc de dictis.

Prudentiâ non minùs ac cæteris nobilitandus est, quâ præsentia disponit, præterita recolit, futura prospicit, & in omnes regiones oculos libratos habet, & non minùs à dorso quàm à fronte intuentes ponderat; quo pacto prudentiam sub specie *Minervæ* è *Iouis* vertice natæ, *Romæ* pingebat *Amulius*: quod opus artificis illius pollice ita effictum fuit, & consummatum, vt oculi ipsius non rectà tantùm, sed etiam in obliquum & retrorsum, & in omnes plagas collimarent, & subtiliter penetrarent. Hinc tanta sedatæ mentis tranquillitas, vt nec pauore vel tantillum offendatur, nec molli & lasciuâ lætitiâ vnquam deliquescat, vt nullum vnquam consilium fabricet aut subeat, quod vel sibi vel alijs damnum paret; nam hęc retrocómeant: consilium etenim malum in consultoris caput semper retorquetur: vt *Hesiodus*,

Prudentia Regis.

Effigies prudentiæ.

Οἱ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνηρ, ἀλλῳ κακὰ τεύχων:

id est,

Semper ipsi malè consulit, qui alijs malè consulit.

Animi moderatio in Rege.

Huius palmes est & ramus, summa animi moderatio, quæ impotentiæ & temeritatis incursu transuersum ferri non patitur, cuius vim indies in eo recognoscimus; qua *Rutilio Censorino*, *L. Q. Cincinnato*, *Claudio Neroni* (qui *Asdrubalem*, vnà cum *Liuio Salinatore* oppressit,) *Metello Numidico*, *Stasippo Tegeati*, *Theopompo* Spartæ Regi, conferendus est.

Circumspectio Regis.

Huius etiam prudentiæ proles est *circumspectio*, quâ tantâ cluit, & præditus est, vt omnium affectus tentare & perquirere, omnes rerum ritè gerendarum opportunitates rectæ rationis lancibus & trutinâ ponderare norit, & quid factu potissimùm opus sit probè dispicere, & quod maximè studet perficere quasi aliud agens, astutè bona dissimulare, & rerum occasiones,

siones, sine improuidâ festinatione præstolari queat, & quod properando consequi non posset, id protrahendo & differendo pedetentim adipiscitur; quo, *Fabio Maximo* persimilis est, qui his artibus deploratum, & tantùm non desperatum, post fatalem Cannensis campi cladem, Romanæ ciuitatis statum erexit, & tergiuersando, quanquam ferè effœtus senex, Pœni exultantiam compressit, & modò recedens, modò procedens, Barbari audaciâ detriuit: de quo *Ennius:*

Vnus homo nobis cunctando restituit rẽ. *Ennius de Fabio Max.*

Et *Silius Italicus:*

At ni sacra seni vis, impressumq́, fuisset,
Sistere cunctãdo fortunã aduersa tuentẽ,
Vltima Dardanij transisset nominis ætas.

Eâdemque ratione Regis nostri gloria cœlo tollitur, vt de eodem *Fabio*, eandem ob causam proloquutus est idem Poeta:

Summe ducũ qui regna iterum labentia Troiæ,

Et lapſas Latij res, Maiorumq́ labores,
Qui Carmentis opes, & regna Euandria ſeruas:
Surge age, tu merito ſatrum caput inſere cælo.

Annibal vincere ſcit, nescit vti victoriâ.

Aſt *Annibal* circumſpectione hac caruit, dum poſt Romanos multiplici malorum congerie afflictos, & apud Trebiam fluuium, Thraſimenum lacum, & Cannas, arte & fraude punicâ conuulſos & peſſundatos, in ciuitatis conſpectu, & ſub mœnibus caſtrametatus eſſet, & meticuloſis ciuibus, tanquam viuidus Aquilæ pullus imbellibus columbis, immineret: è veſtigio tamen tam lætâ occaſione omiſsâ, Capuam inuaſit, vbi luxu & deſide pigritiâ adeò diffluxit, vt è victore mox victus euaſerit; & quem nulla negotia, nullus impetus turbauit, is otio, laſciuiâ, & dapibus emollitus, ſuccubuit.

Et quemadmodum de belluarum terreſtrium & aquatilium inter ſe pugnis, & diſcordijs tradidit *Plinius*, ſingulis

gulis innatum esse, & à Deo rerum conditore, ipsarum naturæ inditum, vt non tantùm quibus armis ipsæ plurimùm possunt hostem lædere, sed etiam quæ sint ipsorum hostium maximè imbecilles partes, quibusque suis ictibus potissimùm pateant, & nudæ sint, verè animaduertant; vt Delphini cum Crocodilis in Nilo, duello certantes, cum Crocodili dorsum squamis & durissimo tergore tanquam Loricâ aut galeâ armatum esse teneant, astu vtuntur, & vinci se simulantes, & in fluenta occisos detrudi fingentes: vbi sub aquas descenderint, rursus in superficiem exiliunt, & lancinatâ dorsi spinâ qua sese sciunt munitos, Crocodili ventrem quem mollem & ictibus obuium nouerunt, tanquam ferruminatâ cuspide feriunt. Haud secus sapientissimus ille in omnium affectus se insinuare, & quasi tacito serpens gressu irrepere nouit, & tum amicorum tum aduersariorum

Delphini astutia cum Crocodilo dimicantis.

clandestinas cogitationes quantumuis vt Hieroglyphicis literis, sic fraudum inuolucris (quali ratione scripsit *Harpagus* ad *Cyrum*, dum literarum formas in nuncij vertice exararet) tectas, subolfacere solet, & tum armatas, tum inermes ipsorum partes explorare, ac veluti plumbo iniecto, ima ipsorum funda detegere, & maximè versatiles sistere, vt suis figuris & lineamentis discerni possint.

Quâ mentis solertiâ *Hannibali*, duobus *Africanis*, *Vlyssi*, *Lysandro*, (qui pelli Leoninæ vulpinam assuendam dictitabat, id est cum viribus artem) *Tullo Hostilio*, (qui *Metium Suffætium* astutus incautum adortus est, & cepit) *Sertorio*, *Xantippo*, *Miltiadi*, *Timoleonti*, *Agathocli* Syracusanorum Regi, *Marcello*, (qui vt *Fabius Maximus* clypeus, ita ille gladius Romanorum dictus est) *Claudio Druso*, *Viriato Ibero*, *Dario Histaspis* filio (qui de Ionicæ coniurationis authoribus loquens,

quens, hoc adagium argutissimè protulit, *Histiæus* calceum consuit, sed *Aristagoras* induit, id est, ille scelus machinatus est, hic executioni mandauit) & *Camillo* assimilandus est. *Cyro* verò quanquam alioqui ornatissimo duci, improuido tamen, *Xerxiq;* & *Antiocho* magno, (qui in medio bellorum tumultu, effœtæ & quinquagenariæ aniculæ amore languens, hyberna tempora transegit) & *Cambysi*, & *Minutio* equitum magistro, dissentaneus est: Et *Pontio* Samniti disparem constituo, qui Oenotrijs potitus (vt docet *Liuius*) à genitore interrogauit, quomodo ipsos tractaret; qui respondit, vel benignitate conciliandos, & à nôxâ immunes dimittendos, vel omnino trucidandos & è medio tollendos; ast ille medium tenendum ratus, probris lacessitos, & nudos remisit, qui tali irritamento exacerbati, bellum redintegrarunt, quo ab ipsis confossus occubuit; id fuit imprudentiæ suæ præmium,

Cyrus male prouidus ductor.

Pontij Samnitis temeritas.

Liuius.

mium, & ſtipendium.

Et noſter prudentiæ ſuæ hoc aliud edit documentum, quòd non omnibus placere velit, ſed tantùm bonis (quod ipſi incumbere ab officio non ignorat.)

——ουδε γαρ ὁ ζευς
Ουθ' ὑων παντας ἀνδανει, οὐτ' ἀνεχων. id eſt,

Neque enim Iupiter,
Neque pluens omnibus placet, neque abſtinens, ait Theog.

Huius etiam virtutis ſoboles eſt, *Adulatorum, & calumniatorum auerſatio*, virtus, ô quàm Principi neceſſaria! Is Sycophantas vt omnis ſeditionis flabelliones, omniſque perfidiæ verſutos, & immites concinnatores, ab aditu prohibet, & à palatio, & ædibus procul arcet; eorum fraudulentas titillationes vipereo infectas veneno repellit, & ablegat, eoſque cum *Ageſilao* Spartanorum Rege, vt propriæ necis cupidos dictis inſectatur, & exagitat; aſſentationem immoderatam vt Vir-

Rex aſſentatoribus & paraſitis infeſtus.

Virginei inguina monſtri deteſtatur & ſuſpectam habet. Hic *Catoni* Vticenſi (qui verbis eos ad viuum lacerabat) *Antigono*, *Socrati*, *Lyſimacho* Æmathiæ Regi, *Tiberio* Imperatori, & Athenienſium Senatui, (qui tales capitalibus pœnis plectendos opinabãtur,) congruus eſt. Et à *Pruſiâ* Bythiniæ Rege, *Lucio Vitellio*, & *Timagora*, (qui ob illum pruritum peſſimè audiebant,) ſeiungendus eſt, & à *Demetrio*, quem vanitate profluentem Athenienſes hoſtes blanditijs ſubuerterunt, eumque hoc œſtro immodicè prurientem, hac lege lata irridentes vt ſtolidum puerum, peſſum-dederunt; quæ ſic exarata eſt: *Quicquid Rex Demetrius iubet, id apud Deos ſanctum, & apud homines iuſtum eſto.* Inflata infatuati viri vanitas, ipſi fuit in laqueum & tendiculam. *Principes ſycophantiæ amatores.*

Et ab *Alexando* diſtat, qui, eò quòd à ſacerdote *Ammonis* in Lybiâ, linguę Græcæ ignaro, παῖ Διός diceretur, pro *Alexandri ſtupor.*

παῖ-

παιδιον, id est, fili *Iouis*, pro fili; se pro *Iouis* filio venditauit, & haberi voluit, donec sanguinis effusione sese mortali creatum semine perspexit, & tam futili argumento conceptum errorem abdicauit.

Gratitudo Regis.

Sed quàm esset inexpiabile, quantæ socordiæ, Regis ipsius gratitudinem & æquilibrium, quæ in exercendâ liberalitate, & honoribus tribuendis adhibet, sicco pede, & perfunctoriè transire? quandoquidem ex prudentiæ radicibus hi rami & surculi sunt enascentes. Quorum duplicia testimonia edentur, vnum de Anglicani Senatus columnis, alterum de veteribus suis domesticis Scotis, & Anglis quos recèns promouit, quorum cristas ad nubes erexit. Quippe quos ex Angliæ proceribus & consiliarijs, ELIZABETHÆ nobilissimę memoriæ Reginæ superstiti, fidos, & addictos intellexit, eos omnes honoribus, & donorum ingentium accessionibus auxit,

Senatum Anglicanũ Rex magni facit, idque ratione iustissima.

auxit,& locupletauit; grauiſſimum & ſacratiſſimum illum ſenatum, eiuſque membra & ſyndicos ſupra priſtinum vigorem, quo anteà nitebat,euexit & extulit; nimirum, tanto annexo capite, reſidua ſynedrij illius mẽbra, multò conſpectiora fieri oportebat. Non *Atlante* amoto, *Hercules* ſuppoſitus eſt, aſt *Herculi Atlas* eſt ſubſtitutus: ideò quod priùs fortibus Fœminæ virilis humeris & ceruicibus incubuit Regni & Senatus onus, nunc tamen multo firmiùs noſtri maſculis lacertis ſuperiniectum fulcitur. Quod conſiſtorium, Rex optimus rerum æſtimator, tanti facit, vt eo inconſulto nihil gerat, ſatiuſque eſſe putat cum *Euagora* Cyprio, ex familiarium ſentẽtijs & concurrentibus calculis, negotia diſponere, quàm integram laudem in ſe transferri; vnde hic fructus exoritur vt quæſtio perplexa ſit, vtrùm fœliciores reputandi ſint, qui talis Regis iugo colla ſubmiſerunt, an Rex qui tali-

talibus ſtatuta & iura præſcribit, & tam inclytis Maioribus ſublatis, in talem ſedem ſuffectus eſt. Nec immeritò honoratiſſimum *patrum conſcriptorum* ordinem, & confeſſum tantâ animi propenſione deoſculatur, vtpotè Perſarum ſeptem-viris, qui *Aſſuero* aderant, dum *Eſteram* (*Vaſhte* præfractâ, & inmorigerâ repudiatâ,) vxorem duceret, eumque Magis eiectis ad hinnitum equi Regem crearunt, grauitate & terrore ſuperiorem, ac ſeptuaginta Senioribus Iiſraelis *Moſi* ſubordinatis ſimilem, ac Romano parem; quem cum *Cyneas* inuiſeret, *Pyrrho* domino renunciauit, ſe tot Reges quot Senatores adijſſet, conſpexiſſe; & eidem perſimilem, quem cum Galli Senones, & reliqui Ciſalpini, vrbem expugnatam ingreſſi intuerentur, totidem Deos arbitrabantur, ipſaque Barbarorum victrix ferocia, proſtratæ vrbis inuicto Senatu aſpecto, eiuſque ſupercilijs & maieſtate, fracta & contuſa

Anglicani Synedrij cũ grauiſſimis veterum regnorum Senatibus collatio.

tusa fuit, & victores victis genua flectere, ac proni vultu in terram inclinato adorare. Idem ille Senatus Anglicanus, *Alexandri* copijs sub *Philippo* educatis, conferendus est, (cuius exercitus quot erant Centuriones, tot Reges videbantur,) & Comitijs Romanorum Tributis, Centuriatis, ac Curiatis, Magistratibusq; eorum non plebeis modò, sed & Patricijs, iustitiâ, gubernatione, dexteritate, atque authoritate præpollet. Eius scita, & consulta, Angliæ pro portis æneis & ferreâ loricâ sunt, atque instar tuti velaminis atque vmbraculi, ad exterorum incursantium propulsandam violentiam. Idcirco Regi potissimis Romanorum Imperatoribus præstantiori, commodissimâ & cõgruentissimâ ratione charissimus. De Scotico idem iudicandum, vt de eo, hoc loco meminisse, huius sectionis serie & contextu non perducamur. *Romanorũ Comitia.*

Vt hoc effectum prudentiæ ascribo,

bo, ſic quod ſequitur, gratitudinis & munificentiæ cum diſcretione compactis & confœderatis operibus annumero, quòd Scotos, antiquos ſuos ſeruos & contubernales, fidelitate, & obſequentia, canorâ, liquidâque voce dicendos, anteacti ſeruitij haud immemor, abundè & planè Regali recompenſatione, remuneratus ſit.

Et quis tantam æquanimitatẽ ſileat? Quis tam ingenui pectoris candorem ſepultum celari perferat? Quos non fortunis peperciſſe, quos ad ipſius ſalutem procurandam vitæ prodigos fuiſſe nouimus, qui adoleſcentiam & emeritæ ætatis initia, in ipſius palatio & excubijs, & labore iugi conſumpſerunt, quos non annis ſeneſcentes, ſed rebus ſerijs fatigatos & perpetuò ſatagentes, in ipſius conſortio & aulâ, prę-matura canities inuaſit, qui multa luſtra ei operam nauantes tranſegerunt; quorum paucos Regiæ munificentiæ & gratitudinis exempla infrà recẽſeo.

DO-

DOMINVS LODOVICVS STVARTVS LEVINIÆ DVX.

Lodouicum Leuiniæ Ducem, Darliæ Comitem, Torboltoniæ & Methveniæ Vicecomitem, & fani *Andreæ* Dominum, magnum Scotiæ Camerarium, & Thalaſſiarcham, Periſcelidis ſplendidiſſimi in Anglia ordinis Equitem, & in vtroque regno Conſiliarium: quo prima fronte piaculo ſileam, primarium Regij ſanguinis agnatum, magnæ Britanniæ patricium, Procerum decus & lumen, ſtaturâ procerum, adeò & erecto corpore eminentem, vt ſit

Oſtẽ humeroſq; Deo ſimilis:

G &

& facem ſubſequentibus anteferre videatur, qualem ipſo naſcente vidimus in Caſſiopæa relucere; hæc vt in ætherea regione ſupra planetas, & ſubtus primæ magnitudinis ſtellas refulſit, ita & iſte prope Regiam maieſtatem primum in hoc orbe motorem noſtrum, aliquandiu prope ſolus reluxit: & etiamnum modeſtiæ miro quodam ſplendore coruſcat. Huic in oculis Charites, in pectore *Mauors* refulget.

Regia prole non propagata.

Fortes creantur fortibus & bonis,
Nec imbellem feroces progenerant aquile columbam.

Illuſtrem *Darlæorum* familiam & *Leuinorum* ducit & illuſtrat. Ea virtute, ſi non tempore, aquilas Romanas anteceſſit, & ad æterni nominis gloriam conſequendam, ijs altiùs euolauit. Arcto iam olim agnationis vinculo, Iacobi, magnæ Britanniæ & Galliarum Regis adhæret proſapiæ. Is Regum qui ſub ſole ſunt omnium, ſolus

Vera virtus pietas.

lus est, qui

Centum de stirpe priores
Sceptriferos numerare potest.

Ego tamen ab ouo Troiano non ordiar, nec quicquam recensebo quod annales voluēti non innotescat: immò verò si vnius hîc obiter, & quorūdam qui peregrè vitam præclarè transegerunt, paucis meminero, ad hæc tempora veniam. Nudæ veritatis testes erunt superstites. *Alanus* è Leuiniorum maioribus, cū *Godofredo* Bollonio ad expeditionem sacram profectus in Syriam, ciuitatibus longe lateque expugnandis interfuit, præsertim Hierosolymis, quarum mœnia primus cōscendit & specimen dedit,

Magni illius Gualteri tempora.

Magnos posse viros, & magna exempla daturos *Iuuenalis.*

Arctoâ in patriâ, crassoq; sub aere nasci:

Certis passibus sequuti sunt alij, sed aliquo temporis interuallo. Vicina Gallia vetusto fœdere Scotis amicior, ciuili bello flagrabat, hærede *Carolo*

risui habito, & Biturigum Rege appellato, cum Duce Clarentio Dux, Burgundus omnia deuastabat: *Carolus* fœdere, amicitia, & fide, nostrorum appellata, per cognatum *Vindocinensem* obtinuit, vt ad eum auxiliares copiæ mitterentur, quibus Buchaniæ quidem Comes, gubernatoris Scotiæ filius, imprimis præfuit, sed vnà cum eo nobiles & spontanei plures profecti sunt; præ cæteris, genere clarus, symmetria corporis, & indole singularis, *Ioannes Stuartus*, Leuinij Comitis frater germanus, is ita se fortiter, ita strenuè gessit, vt Obigniæ dominio primùm donatus sit. Reuersis in Scotiam paulò post reliquis, ei copiæ datæ sunt, & armorum comes Regi nuncupatus est; in asperis antecessor apparuit, vnde scitum illud insigne fortitus est, *auant Darlée*, & insignia tribus Lilijs Regio more puris, nec cãcellatis nec interruptis decorata, ditiones ditionibus superadditas, priuilegijs

Scitum Leuinij Ducis & Darleorum.

legijs præter quaſuis in Gallijs alias, eminenter tenendas obtinuit, à diademate Gallico dependentes tantummodo; in cuius rei fidem ſibi ius dedit quodammodo: nam cum *Guilielmũ* haberet hæredem vnicum, ſtatuit vt Obigniæ dominatus, maſculis legitimè genitis deficientibus, feudo (vt interpretes Iuris loquuntur,) maſculo è Leuiniorum familia ſecundo genitis deberetur: accitus proinde à *Guilielmo Bernardus*, ad maiora capeſſenda natus, bonis auibus abijt; temporis breui tractu, Comes ſtabuli ſiue magiſter Equitum eſt creatus, (is honos in Gallijs poſt maieſtatem eſt maximus) indies & ad extremum exinde diem, huic honos accreuit:

Nam Regẽ ſolum ſuſcipit.

Non ſemel infauſtis repetita Neapolis armis:

Ei fauſta tamẽ omnia, Calabriæ, Hieroſolymarum & Siciliæ prorex, pacatis vbique rebus, per Angliam redijt: *Errico* ſeptimo ad Boſuarduin in

Bernardus Stuartus Calabriæ prorex.

acie coronando, cũ cataphractis equitibus quos adduxerat, non modò ſuppetias tulit, ſed enſem quaſi fatalem prætulit:

Ferro ſtrauit iter.

Vidit eo die *Erricus*, homo homine quid præſtaret: hunc virum poſteris adeò commendauit, vt *Erricus* octauus, redeunti è Gallijs valetudinario, ad oſtia Tameſis obuiam iuerit, & parentem ſalutarit, immò verò blandiùs acceptum, & acceptorum illius virtute memor, quoquo verbo patrem appellarit. Mirum certè, iam olim ad hæc regna, iure & armis capeſſenda, ex *Leuinorum*, & *Darleorum* familia quoſdam, non temerè, ſed quaſi Dei digito ſic adfuiſſe, mirum præ alijs, alios, viris principibus velut ad opitulandum natos; ſed iſte tantis honoribus in Italia, Gallijs, Sicilia, functus, Et Anglia, non priùs in patriam remeauit (in qua ad *Chriſtophori* fanum ſupremum diem obijt) quàm cognatum

Etſi Camdenus non meminerit alij perhibent.

tum in Gallijs ſtabiliſſet, *Robertum Obigniæ* Mareſchallum, qui multos illic in annos ſuperuixit: multa geſſit, nouem filiarũ affinitatibus familiam decorauit, aſt opibus minuit, quo dotibus & antidoris dignitatem adæquaret. Ætate prouectior, bello Patauino præclarè ſe geſſit, & tumulo trophæũ reportauit; quo ſe priùs non condidit, quàm cognatos, *Matthæum* & *Ioannem* accerſiſſet, illum, inuictiſſimi Regis noſtri auum, Ducis Leuinij patruum magnum, hunc eiuſdem Ducis, & Obigniæ Domini auũ. Vtriq;, & vnà copijs & cataphractis equitibus, quos habebat cognatus, præfecti, in Sabaudia & Pedemontanis diſcriminibus, ad reprimendos impetus tranſalpinos, ſeptennio defudarunt; florentem Galliam, nimiùm de ea benè meritus, reliquit *Matthæus*; republica & regno poſtulãte, in has oras remeauit: in Anglia *Margaretam* duxit, quæ ex *Errici* octaui ſorore nata, *Iacobi*

Robertus Galliæ Mareſchallus.

Matthæi in Anglia matrimonium.

cobi quinti Scotorum Regis ſoror erat vterina. Is Scotiæ primùm interrex, deinde prorex, pro Regia dignitate, Rege tenello (qui viget & longum vigeat) vitam poſuit. *Ioannes* interim Obigniæ Dominus, agebat in Gallijs, & maiorum veſtigijs inſiſtere ſatagebat, vt vulgatum illud eluceret:

Sine milite Scoto,
Nulla vnquã Gallis ceſſit Victoria caſtris

Superſtites perhibent, & Annales æternùm loquentur.

Pollicitis ſtabo. Teſtes hoc æuo ſuperſtites, (vt relictis regionibus longinquis, loquar) quid ad Ictium, vulgò Caletum, viderint, teſtis *Erricus* Galliarum nunc quartus, quid ad Cutracium, teſtis hæc inter, Hiſpanus ille ſi ſupereſſet *Philippus*, Galliæ totius ad *Quintini* fanum terror, quàm intrepidè *Ioannes Stuartus* fugientes reuocarit, cum ſuis ſubſtiterit, & totius Victoris exercitus impetum ſuſtinuerit, donec vndequaque ſeptus, non ſine cæde & ſanguine eſt interceptus, ſoluto, ſed non maximo quod habebat, precio,

Lodouici Ducis anus.

precio, honore ſaluo, remiſſus eſt honorificè; *Decium* dixiſſet ſpectator, deuotum pro patria, ni ſuperuixiſſet, & huius Leuinij Ducis patrẽ genuiſſet, Obigniæ Dominum; hunc è natali ſolo, Galliâ, ſed non auito, Rex noſter in Scotiam, velut aboriginem acciuit, & agnatum, non agnationis adeò nomine, quàm agnitâ virtutis in maioribus & magnanimitatis memoriâ, in ipſomet, prudentiâ, fortitudine, conſtantiâ, compellauit. Virum inſignem, Rex ad Ducatus euexit faſtigiũ, virum ſingularem, qui ſi in hæc tempora ſuperuixiſſet, quam rerũ faciem cerneremus? Sed à Rege adhuc iuniore, turbidis quorundam ingenijs diſtractus, ſeceſſit, & dolore percitus, vitam aliquantiſper tolerauit. Quid plura? fatis ceſſit,

Et nos ſeriùs ocyùs, omnes eodẽ tendimus.

Regia maieſtas, quod proximũ erat, prolem eius propè totam paulatim euocauit, *Lodouicum* inprimis quem patris

Magna Regis munificentia.

patris titulo, & honoribus dignatus est, & amplissimis ditionibus quas sibi poterat iure suo retinuisse: sed potius duxit, Ducibus imperare, quàm Ducem esse, cui

Non abeunt, ast aduenium sine sanguine regna:

Anglia & Hybernia aduenerunt, non aduenæ si tantùm sapiant, & certè sapiunt, quantum

Sub sole remotos
Qui regit Æthiopes.

Reuolutio temporum & Imperiorum.

Auehor, auehor, sed alij caueant

Arcturi cadentis impetum, & grauioris Vrsæ.

Sub *Leonis* vexillo se attollat *Lodouicus*, quem sustulit, quem primum in patris sui memoriam tenellum; subinde cæteros è Gallijs veluti palmites transtulit, & arboribus bonis insevit: propagines pullulant, immò verò germinant & producunt, de quibus loquentur, si Deus dederit,

Post sæcula sera nepotes.

Sed

Sed de ipſomet Duce Leuinio, vti educatus ſit, neque me meminiſſe, nec te legiſſe, vti ſpero, pœnitebit. Puellus vt primũ appulit, bonis literis imbui iuſſus eſt, & imbibit; ei proindè relucet in vultu, neſcio quid altius & inſigne in pectoris penetrali refulgẽs: quaſi *Silenus* eſt, ad eum propiùs qui acceſſerunt, ſenſere

Quid mens læta, quid indoles
Nutrita fauſtus ſub penetralibus poſsit.

In iſto certè potuerunt, cum paulùm adoleuiſſet, Auguſti Regis noſtri vultus, & monita non intermiſſa, mores & animũ viro principe dignũ prorſus effingere. Nam enim quàm primùm lanuginem depoſuiſſet, & primipilum *Marti* ſacraſſet, rebus priuatim magnis, & Senatui publicè ſic aſſuefecit, vt ſenſim ad animi ſui ſenſum efformarit: breui idoneum reddidit ad reipublicę onus non leue capeſſendũ; ſed paſſus eſt aliquantiſper res obſeruare. Ita iuuenis annos animis & iudicio

Regis de Leuinio Duce cura & ſollicitudo.

cio anteceſſit, nil intentatum reliquit quod tantum & talem virum deceret, *Bellonam Marti* iũgere, equos ſic edomare, vt ſi cataphractis inſediſſet, laminis ferreis & graui armatura tectus, *Gradiuum* præ ſe ferre dixiſſes. Vidit non ita pridem in Regum ſpectaculis hunc virum Anglia, nec inuidit; mirati ſunt non modò plurimi, ſed propè infiniti, qua celeritate lupatis *Cyllareis* alios circumageret, vt turbine ferri videretur, alios calcaribus rectà propelleret, vt *Pegaſo* vehi putaretur. Hęc & pleraque omnia quæ in eo prælucent, Regis ſui imitatione ſe affectaſſe non diffitetur, immò verò gloriatur. Et Rex prudentiſſimus non hunc ſolùm promouere ſtuduit, ſed quo familiam totam attolleret, quam prę cęteris omnibus (vti videtur) voluit elucere, Leuinij Ducis ſorores duas in Scotiam iuſſit adduci, quarũ neutram ſatis vnquam laudarim. Lactauit quidem adoleſcentulas Gallia,

Eques in ſignis eſt Lodouicus Dux.

Leuinij Ducis ſorores duæ.

Beata

O Beata Gallia.

Euge, bonarum blanda nutrix Virginũ.

Rex euocauit, aluit, & antetulit alijs Scotia: earum natu maior, *Errica* nomine,

Nomen cum violis roſiſq; natum,

Georgio Gordonio Marchioni Huntilæo nupſit, notæ fortitudinis viro, & inuictæ gentis *Gordoniæ* principi. *Mariam* natu minorem,

Regi cedere vinci nõ eſt.

Dũ matura viro, dũ plenis nubilis annis,

Soror apud ſe detinuit; ea tandem in aulâ Regiâ *Marriæ* Comiti, viro magnifico & verè magno eſt deſponſata. Vtrique per eas, & hic & ille

Fœlici & numeroſa prole beati.

Leuinius interim his ramis adornatus, radices egit altiùs,

Leuinius clientelis potens.

Creuit occulto velut arbor æuo,

Clientelis quas habet innumeris, & equeſtris ordinis plurimis, affinitates additæ tales, fecerunt vt faciliùs poſſet oneri imponendo ſufficere, oneri inquam ad quod iam ante ſignificatũ,

Regiam

Regiam maiestatem eum instituisse. *Augustus* noster periclitaturus, magè quàm *Octauius* ad *Actium*, non vt *Antonii* aliquem sibi subderet, aut *Cleopatram* in *Mausolæum* coarctaret, sed quo inuicti Regis Daniæ filiam Rex inuictissimus sibi coniugio deuinciret, hyeme media per maris æstus & niuosa Noruegiæ profecturus, prorege reliquit *Leuiniæ* Ducem, rebus non adeò turbidis quàm parùm sedatis, propter iuueniles quorundam nobilium animos, dum se quisque potissimum & clientelis potentissimũ contendit existimari: coriphæi plures, pleriq; coætanei & alius æmulus alius

Lodouicus prorex factus.

Periculosæ plenum opus aleæ,

in ea regione, ea Regis absentia, ambitiosis hominibus ad tempus tantũmodò, immò tantisper imperare. Metum diuturnitas auget, breuitas minuit. Sed enim nil metu *Leuinius*, omnia leni seueritate, non modò mediocri quo relicta sunt statu retinuit, verùm

Lenis est & mitis valde Leuinius.

rùm ſedatis Magnatum quorundam odijs & ſimultatibus, pacata priùs reddiderat omnia quàm *Iaſon* noſter reuerſus eſt, qui

Truci Pelago commiſit ratem:
Nec ſine multo diſcrimine redijt, ſed, laus Superis, incolumem redijſſe
Votiuam tabulam & vuida
Suſpendiſſe veſtimenta maris Deo.

Huic deinde ſalum commiſit, cui ſolum crediderat, Duci *Leuinio* quem Thalaſſiarcham exinde conſtituit, vt poſt ſe primas in omnibus obtineret: quid ego memorem quantâ in hunc diem modeſtiâ, quantâ Nobiliũ beneuolentiâ, quo plebis amore, quo mercantium & naufragorum encomio, ſe ab arrogantiâ, litibus, rapinis, auaritiâ, & rebus illicitis continuerit? Hæc animi integritas effecit, vt illæſus inceſſerit ſæpiùs,

Thalaſſiarcha factus eſt.

Per ignes ſuppoſitos cineri doloſo.

Qui patrem oderant, prolem animo ſine dubio ſunt auerſati, ſed aliquantulùm

Tacitè inuidentibus nõ vacabat.

tulùm indoles bona, mage Regis affectus, & maturior adueniens ætas vtriusque, repressit inuidos,

Nec auersa Dei mens.

Imperium illud Pelagi, datum à Rege, *Leuinium* non remouit à reipublicæ in arido sollicitudine si quid Rex imperaret: missus est ad profugos in Austro & Borea persequendos: grata Regiæ maiestati obsequia, bonam reipublicæ, bonam affinibus operam præstitit. Nam enim Rege clementissimo clades hominum, ruinas ædium, & rudera prorsus auersante, relictus est *Leuinius*, qui rebus consuleret: bene cessit, sedata sunt aliquãtisper omnia, dum temporis breui tractu, mirâ Regis prudentiâ, mirâ sollicitudine, inueterata quantumuis odia prorsus eradicata sunt. Pacatis domi rebus, reliquum erat, vt mitteretur in vicinas regiones, Gallias præsertim, aliquis, qui res magnas agitaret, 800 annorum fœdus, inuiolatũ quantumuis & stabile

Rebelles & profugos est insectatus.

bile manserit, recoleret, aut si qua opus esset, restauraret: quis magis idoneus quàm qui cunas & alteram sui partẽ, immò vtrãq; propemodũ debebat huic Galliæ. Missus est proinde *Leuinius*, iterum & secundò post interuallum missus, legationes obiit honorificè: vtrisque Regibus satisfecit, vtrique populo rem gratam præstitit: mirificè in Gallijs habitus est, & redeunti per Angliam, ab *Elizabetha* fœlicis memoriæ Regina, non agnati solummodò, sed multis nominibus congratulatum est. Ea rerum gnara, repetijt quæ iam olim audierat, qui in Angliâ *Leuiniis* honores delati. Se vel eo solo delectari, quòd delectum fecisset cognatus, relictis quodammodò, & abdicatis iam Gallijs, in his oris degendi; intellexerat enim (quam pauca latebant) Regina, *Lodouicum*, in ea legatione, fratrem germanum Obigniæ Dominum, ex asse in Gallijs hæredem instituisse.

Legationes duas obijt Lodouicus.

Honorificè in Anglia habitus ab Elizabetha Regina.

Eius frater germanus Obigniæ Dominus.

Is patrio nomine *Esmundus*, ad ætatem vsque virilem in Gallijs mansit, matris solamen propè vnicum, quæ tamen passa non est vt inertem traduceret adolescentiam. Biturigis ætate tener bonis literis bonam nauauit operam, donec assumpto pro virili togâ sago, se *Marti* sacrauit, & inuitus quodammodò nomen dedit *Gradiuo*; grassante totâ Galliâ bello ciuili, & ijs præsertim locis, quibus Maiores cum *Carolo* arma sumpserunt, is militauit, vt primùm adoleuit. Obignia oppidũ est satis munitũ, non sine castro, structurâ, & milite valido: Dominus etiam aliud *Lauaricum* habet castrum, quod nomen iam olim videtur dedisse prouinciæ; quicquid sit, aduersus partes Regias confœderati, metuẽtes ne maturior factus qui tum *Mineruæ* & Musis vacabat *Esmundus*, auito more, Regias partes sequeretur: non aliter passi sunt Biturigi perseuerare, quàm datis obsidibus, & indicto

Obignia oppidum.

spatio

ſpatio quo ſe iuuenis contineret; aliquantiſper cõtinuit, donec Dux *Guiſius* qui tum arctiùs detinebatur, euaſiſſet: is tandem agnationis affectu aliquo, an, vt veriùs dicam, exemplo, auſus eſt aliquid,

Quo ſe quoque poſſet
Tollere humo, victorq; virũ volitare per ora.

Nullius incommodo, nullo læſæ maieſtatis diſcrimine ſe ſubduxit, auunculum inuiſit *Anthragium*, *Se ſubducit Obignius*

Equis & armis nobilem.

Aliquantiſper ſe ijs exercuit, & exercitum Regium breui ſequutus, non potuit non innoteſcere. Duces quiq; vetuſtiſſimi virum ſpectare, quis eſſet inquirere, qui tantum & talem præ ſe ferret: audita proſapia, de maioribus multa referre: Itali propè plura quàm Galli. *Eſmundus* interim ſe ſobriè gerere, animo maiora voluere, quàm geſtu præ ſe ferre: amorem (ſed caſtũ) meditari. Dum à caſtris vacaret, cum *Aulam ingreditur & arma ſequitur.*

nobilibus virgines & matronas inuiſere nobiles : vt verbo dicam, *Gabrielem* Comitis Sancerij filiam vxorem duxit, genere nobilem, formâ præſtantem, virtutibus adornatam, opibus, & affinitate pollentem : hanc tamen *Atropus* velut Heliotropium, vitæ medio die florentem, & oculos ad ſolem in cœlis ſuum vertentem, interſcidit, è mundo abſtulit, & *Eſmundo Suſtulit, animæ dimidium ſuæ.*

Obignius vxorē duxit.

Proh dolor ! quo putas hunc hominē ſtatu vitam toleraſſe ? delituit donec ad arma conclamatum eſt : demum *Mauors* tubâ virum ſuſcitauit: ille *Mortis amās, anſas petijt, per tela, per enſes.* Gallias hac illac peragrauit, hoſtes Regios, pro virili repreſſit: ipſummet in obſidionibus varijs non adeò comitatus eſt, quàm in expugnationibus mœnia conſcendens, animoſiùs anteceſſit, donec ſedata ſunt, & ceſſerunt pro tempore Regi Chriſtianiſſimo in Gallijs omnia. *Eſmundus* denique

Regis Galliarum partes in Gallijs ſequitur.

que Dominus Obigniæ, ne in priſtinos dolores recideret, aut Philomelam ſuam nouo luctu defleret, oculos ab aſſuetis locis & natali ſolo auertit: & animum ad ſolem nouum ab *Arctoâ* iſtic plagâ refulgentem conuertit, Solem (in hoc ſolo) *Iacobum* magnæ Britanniæ Regem, radios non in Gallias modò, ſed vltrà vibrantem: *In Britanniam venit.*

Vltra Sauromatas, vltra Garamantas & Indos.

In auitam Britanniã, & inuiſam priùs, (ſed non inuiſam) Obignius velut in orbem nouum venit; à Rege optimo in patris gratiam & agnationis, receptus in gratiam, pro meritis & virtute ſuâ promotus eſt, vt è ſatrapis à triclinio ſiue conclaui ſit vnus, & ad maiora promouendus videatur: nec quiſquam dubitet, quin *Eſmundus* cum *Lodouico* futuri ſint (ſi res poſtularit) *Virtute promouetur*

Duo fulmina belli
Scipiadæ.

Lodouico intonuit læuum, eo die quo

ſcelus illud omni ſæculo execrandum, propè patratum eſt, quo *Pater patriæ*, & orbis terrarum decus, Rex noſter per proditores & perditos fratres *Gaurios* de vita periclitatus eſt, & innocuus ad mortis limina doloſè deductus. Tu *Leuini* cum ſororio tuo *Marriæ* Comite, in platea ſubtus fatalis domus feneſtras, nil tale metuentes colloquebamini. Rex ad extrema propè redactus, *Marrij* Comitis operam inclamabat, tu vocem audiſti, te medullitùs perculit, vos vnà celerrimè conſcendiſtis, ſequuti properè: Inſulentiũ dominus, Inchafray vulgò, *Tillibardini* Comitis filius natu maximus, *Iacobus Areskinus* Oreſchetæ, *Ioannes Grahamius* Orcliæ, *Georgius Hayus* Natherlitæ, Equites aurati, & in regia camera honoribus aucti, & ordinarij, alijque plures; ſed omnibus vobis aditũ prohibuerũt parietes trabibus intertexti, oſtiũ peſſulis & ſeris firmiſſimè obditũ; quis fremitus? qui ſudores? quæ mẽtis anx-

anxietas tibi *Leuini*? ſed malleos *Ioannes Hamiltonius* Grangiæ Eques auratus celerrimè attulit: vos ad obſtacula veluti Steropes ad incudem Vulcaniam perſtitiſtis: tu moræ impatiens, regis vultum vt cerneres, viuum vt tãgeres, inclamaſti, qua primùm patuit manum prehendiſti: penetraſtis, intraſtis, proditores neci datos vidiſtis, nec tuta tamen omnia: per poſticam ſatellites quidam (*Gaurium* quaſi tutelarẽ deum inuocantes) irrumpere ſatagebant, impetu repuliſti perditiſſimos, euanuerunt: tu quaſi *Theſeus*, Herculẽ noſtrum velut ab inferis redeũtem, de deſtinata morte triũphantem concomitatus es. O diem niueo lapillo notãdum, quo trucidatis proditoribus rex ſuperuixit! quid plura? ſi mihi

Linguæ ſint centum, oraq́, centum,

huic diei deſcribendo non ſufficiam: omnes in his oris oriundi debemus, ſed tu inprimis & ante omnes *Leuini*, Superis debes, quòd ſuperſtitem ha-

beas, cui ſecundùm Deum omnia te debere non diffitebere: te Periſcelidis Equitem, te ſecretioris & arcani Conſilij in vtriſque Regnis eſſe voluit: tuos maiores vt ſuos ex eodē Petrutio, & proximos (ſed rex ex innumeris quos numerat regibus & ſuperior & prior) agnoſcit: propagines ex omni parente promouet, & delectu quodā, *Georgium Gordoniū* Marchionis Huntilæi primogenitum, tuum Leuini, ex ſorore nepotem primum, bene natum, bene inſtitutum, optimæ ſpei iuuenem qui,

Gualtevos & Alexandros, alioſq; plures Cæſaribus & Alexandris vt annales perhibent, æquiparandos præterco.

In patriam aſſurgit, non degener haſtam,

Propè *Henricum* Walliæ Principem orbis arctoi iubar, iubet educari. *Viuite, viuite*: Deum inuocate, vt vos tali Rege, tali Principe dignos præſtetis.

IO-

IOANNES ARESKINVS
MARRIÆ COMES.

LEuinio Duci, *D. Ioannem Areskinum*, Marriæ Comitem ſubſtituo, vtriuſq; regni Senatorem, Periſcelidis Equitem, Legatum in Angliam, cunctis honorum luminibus circumfulgentem, & nobilitatum heroem. *Marriæ tituli.*

Qui quantum valeat, vniuerſa Britãnia, famæ edictis, & rumore ſparſo diuulgatum accepit. Neque enim inclyta heroum facinora, deſertis latebris, immò ne regnorum quidem cancellis concludi fas eſt. Huius Comitis maiores omnes à remotiſſima memoria magno ſplendore & authoritate tum *Eius fama.*

in

in bello & armis, tum in ſenatu & repub. per vniuerſum Scotiæ regnum claruerunt: & ob ſummam tum priuatim tum publicè quoties vſus poſtularet prudentiam, & fidem inuiolatam, ad prima regni munia meritò ſũt euecti. Conſtantiſſimæ verò in regem & regnum fidei illuſtriſſimum documentum ex Scoticana hiſtoria in *Roberto Areskino* Equite aurato, Edinburgenſis, Stirlinenſis, & Britãnoduni arcium præfecto, etiamnum elucet. Is enim maſcula Bruſiana gente iam tota extincta, cũ regni ſpes in proximũ regiæ ſtirpis *Robertum Stuartum* regni hæredem deuolueretur; & magnarum familiarum principes, qui res nouas molirentur & ſibi in regnum ius non obſcurè vendicarẽt, non deeſſent: is inquam magna amicorum & clientium manu conatus nefandos in primo ortu gnauiter repreſſit, & egregiam, ad regnum in Stuartina familia ſtabiliendum operam nauauit. Quin &

Vintonius in Chron.

Primus Stuartorum rex.

& sæculis succedentibus intemeratæ fidei & solidissimæ prudentiæ certissima argumenta in eius posteris enituerunt: hæc enim familia tantam fidē in regno Scotico obtinuit, vt duo præcipua Scotiæ præsidia, & tutelares loci, Edinburgensis & Stirlinensis arx, penes ipsam, & in ipsius custodia residerent, & cuiusque Regum primogeniti, & successoris educatio ipsi committeretur; quod pro singulari intemeratæ fidei, raræque prærogatiuæ monumento, obseruari conuenit. Quis enim educationem *Iacobi* quinti, & Reginæ *Mariæ* ipsius filię, Comitis huius auo *Ioanni* omniū regni ordinum decreto cōmendatam ignorat? quis etiam *Iacobo* magno educatorē, & in pueritia proregem, huius patrem *Ioannem* item summa cum laude extitisse, non meminit?

Eius priuilegia in Regno Scotico.

Hæc antiquitùs in familia splendebant encomiorum sydera; ast Comes hic, qui nunc rerum potitur, virtute sua

Quibus mentis, membrorúmque insignibus polleat.

ſua maioribus prælucet, quanquam magnis,& minimè obſcuris, lucem & claritatem addit. Et probatiſſimis modernorum Regum, veterumq; purpuratis omni ratione componendum quis inficietur, ſi dõmus illius,& nunc vigentis Comitis acta, res geſtas, & exantlatos labores, penitiùs expendat?

Is fidelis & commodus Regi conſultor.

Namque Regi (ſuopte ingenio rerum peritiſſimo) ſani ſemper & ſalutaris, nunquam pernicioſi conſilij author & ſuaſor fuit. Intelligebat enim, arcta catena deuinciri cum rege ſubditos; nam ſi ad virtutem præit Princeps, ſequimur, ſi ad vitia, inclinamus; bene, beateque agit? floremus; improſperè? labimur, aut ruimus cum illo. Atque vt à Sole in ſubiecto hoc orbe, lux aut tenebræ, ſic à Principe apud ſubditos, praua pleraque aut recta; quare *Cæſar Iulius*, non magis animosè quàm verè dixit,

—*Procerũ motus, hæc cuncta gubernãt,*

Hu-

Humanum paucis viuit genus.—

Quo pacto, tum de Rege, tum de Repub. optimè meritus est Marrius Comes, quòd principem sua sponte currentem, ad metam publici boni semper est sequutus, & turbulenta maleferiatorum nonnullorum hominum consilia, quibus honestissimos optimi Regis conatus vel dolo eludere vel vi retundere nitebantur, singulari prudentia & fortitudine non semel turbauit. Taceo ipsum hunc *Marriæ* Comitem à prudentissimo principe *Iacobo* magno opportunissimum semper visum, cui proximam regni, & Regis spem, *Henricum* Britanniarum maximæ spei principem, securus turbatis etiam rebus committeret: qua prouincja quàm prudenter, ingenuè & fideliter defunctus sit, neminem, qui vel ipsius principis regiam verè educationem, vel ipsius Comitis integritatem & solertiam perspectam habet, latere potest; semper enim candida & ingenua

Regis officium tum bonus, tum omn.

nua in illa progenie fuere pectora.

Sed de prudentia, & ipsius, omniumque maiorum erga Reges & regnum tantopere prædicata fide, popularibus iuxtà ac exteris nota, quid verba faciam?

Harum virtutũ se probè cõscium indicauit perspicacissimus Rex, eo die, quo in extremo capitis discrimine versabatur, & cruenta *Ruthenorum* fratrum coniuratione morti deuoueretur; nam cum multi ex Proceribus vnà cum Miscellanea turba frequenti, funestis & fatalibus ædibus circumfusi essent, Regem anxiè inquirentes, & sollicitudine simul ac luctu quò profectus esset, explorantes: Rex, minoris fratris *Alexandri* violẽtis manibus iugulum, fauces, & guttur detentus, propinquam fenestram quæ versus aquilonem tendebat, recluſit; Ex quâ prospiciens, cum plurimos tum nobiles tum gregarios contemplaretur, *Marrium* præ reliquis omnibus

bus iteratis vocibus vocauit, quippe cui in ſummis vitæ anguſtijs præ reliquis cõfideret. Hinc in hęc verba prorumpens; Hem Comes Marri, ſuccurre, ſuccurre, proditorum & ſicariorum manu ad necẽ incautus trahor ni maturè ſubuenias. Quibus ille auditis, conſcenſis cum Duce *Leuinio* gradibus, ad locum ſceleri deſtinatum feſtinauit, foreſq; & interiectas portas malleis per *Ioannem Hamiltonium* ipſius iuſſu mira celeritate apportatis, perfregit, & ad Regis periclitãtis auxilium, quàm fieri potuit celerrimè, ſuperuenit. Quem alij ex familiæ Regiæ miniſtris propero greſſu ſubſequebantur: in his verò nobiliores *Guilielmus Morrauius* Tillibardini Comitis filius & hęres, Parthi vicecomes, *Ioannes Grahamius*, *Vrchelius* & *Georgius Hayus* Equites aurati, qui vt aliàs frequenter, ſic eo die perſpicuas ſuæ ſollicitudinis in Rege protegendo notas patefecerunt: quare Rex fidelitatis illæſæ

Marrÿ fidelitas & magnanimitas pro Regis præſeruatione in Ruthenorum coniuratione.

læsæ quam in ijs deprehendit, conscius, in secretioris & sanctioris cubiculi collegium eos meritò coaptauit.

Legationes Marriy in Angliam.

Hic rarum & memorabile documẽtum fidelitatis edidit, tum aliàs plerumque, tum præsertim in honorifica & splendida illa legatione, ante *Elizabethæ* Reginæ obitum, ad Angliam mandata, quã frequentissima amicorũ caterua stipatus obijt; hac quam prosperè defunctus sit, nunc exitus rerum, euentusq; declarat. Namque viuacissimæ mentis suæ aciem cote nouâ exacuit, ac non modò mordaces Amphisbænas, & Catoblepas Regij iuris infestissimos hostes vel prostrauit, vel in sua latibula trepidos coegit, sed & omnes alicujus nominis, lenocinijs bonis, honestisq; pellexit, vt vnicum suum, & diuinitùs vnctum, & ordinatum Regem, sani agnoscerent, alioq; non sua ambientes, respuerent. Nec in cassum eorum vota pertentauit: namq; non modò plebs, sed & omnes

Earumque fructus.

omnes in ipſius vota protinus manibus ruebant, ac pedibus, & quæcunque erant aduerſæ factiones, illico diſparuerunt. Hunc autem ne optimè nauatæ operæ pœnitere vnquam poſſet, effecit gratiſſimo in eum animo Rex ſereniſſimus, qui ſtatim ac Angliam eſt ingreſſus, Comitē in Auguſtū illum Angliæ ſenatum & illuſtriſſimū Periſcelidis ordinem ſponte ſua allegit. Quin etiam vt erga Regem obſequio, & ad patriæ procurādam vtilitatem, ſummo ardore propenſus fuit ſine labe, ſic aliarum virtutum fotor, & cultor eximius ſemper celebratus eſt, literarumq;, & literatorum patronus, fautor, & *Mæcenas*.

Regis amor in eum.

Sunt & in eo alia extollenda, & inprimis quòd curas ſuas à ſingulis, & domeſticis, ad publica indefeſſus proferat, patriamq; opportuno iuuare cōſilio nunquam deſinat: Is in omni re dubiâ, qua patria periclitatur, obuiam it, & tam pacatis quàm turbatis rebus

commoditati publicæ promouendæ, ſedulò incumbit.

aliorum,manum ad clauum porrigit.

Maxima & æterna laude digniſſima in hoc Comite obſeruantem me, & poſteris commendare meditantem cohibuit ipſius modeſtia & moderatiſſimum de ſe iudicium;qui non tam alienis ſcriptis clareſcere , quàm vita candidè & ſincerè inſtituta , bonis omnibus ſtudia ſua probare , & à poſteritate quam meretur famam expectare,decreuit. Te itaque ampliſſime Comes,Eccleſiæ,Patriæ,poſteriſque diu ſeruet incolumem,qui in eo fœlicitatis culmine locauit,& omnia moderatur.

D. GEORGIVS HVMIVS
Dvmbarrii Comes.

HOrũ vnus est *D. Georgius Humius*, *Humius*, & *Berwici* Dominus, *Dũbarrÿ* Comes, magnus Scotiæ Quæstor, siue Thesaurarius, Perisscelidis Eques, in vtroq; Regno Consiliarius; quem non fortunis peperciſſe, quemq; ad Regis salutem procurandam vitæ prodigũ fuisse nouimus, qui adolescentiam & emeritæ ætatis initia in Regis palatio, & excubijs, & labore iugi consumpsit; quiq; Regem per Scotiam, Noruegiã, Sueciam, Daniã, & tandem Angliam indefessè sequutus est: quem non annis senescentem, sed rebus serijs fatigatũ, & perpetuò satagentem in ipsius consortio & aula, præmatura canities inuasit:

Dumbarrÿ Comitis tituli.

Cura eius erga Regem

uasit: qui multa lustra, Regi suo operam nauans, transegit.

—Non ego te meis
Chartis inornatum sileri:
Totue bonos patiar labores
Impunè, Clare, carpere liuidas
Obliuiones.

Regia munificentia. Hunc Rex, anteacti seruitij haud immemor, abundè & planè regali recõpensatione remuneratus est. Primùm enim Hipparchũ Regium constituit, & Equestri dignitate insigniuit, dignumq; iudicauit, qui in primam cohortem Regiorum amicorum referretur, ijsq; accenseretur, quibus noctes, dieq; aditus patet ad sacrum conclaue; deinde ei Regiorum vestimentorum eligendorum, & asseruandorum, (qui honos vbiq; apud Reges maximus est) cura, & tutela demãdata est; hinc Scotiæ Thesaurarius magnus, & ibidem Regis Consiliarius cõstitutus est. Nec Rex hæc in Scotia fecisse cõtentus, eum nunc demum tantis sceptris

Promotiones in Scotia

tris accumulatus, tantisq; opibus, vt vnguentis delibutus, in altiorem statum euexit, eiq; debita stipendia & officiorum mercedes retribuit. Ex Equestri enim ordine, in illustrissimũ primò Baronum, deindè Comitum ordinem coaptatus est: hinc priuatus in Anglia Consiliarius, Skaccarij Cãcellarius, & Vicethesaurarius designatus est; priuatiq; Ærarij & Bursæ, ad priuata regis interludia, & seruos priuatim remunerandos, ei cura & custodia demãdata est: & sicut in Scotia, sic in Anglia Regiorum vestimentorum tutelam retinuit. Tandem, quia Beruicum vetus regnorum interstitium occupabat; quarum partium incolæ latrocinio & rapinis plerumq; viuebãt; Regis igitur ex duobus locum tenentibus vnus, ad incolarum reprimendam insolentiam deputatus est; qui tanquam accerimus æqui defensor, cædisq; ac violentiæ, & prædationis exactissimus vltor, omnis nequi-

Promotiones in Anglia.

Æquitas & magnanimitas Dumbarrij.

tiæ, & ſãguinolentiæ caſtigator, vagas & palantes prædonum phalanges territat; & quanquam in regnorum interſtitio, tanquã tamen in vnius regni vmbilico conſidens, apparitorum ſuorum emiſſa velitatione, omnes regni oras, tacitaſq; cauernas quietas & pacatas efficit, legum irriſores compeſcit, inopes, orbos, pupillos, & orphanos tuetur, atque ægrè fert tenuiorum bona, à potentioribus vel vi præripi, vel aſtutia erodi.

Cuius tam alta ſublimatio, quàm iucũda Regi? quàm vtilis, quàm ſalutaris patriæ? quàm formidoloſa malefici? iſque qui latrocinio & rapinis viuebant? quorum ars erat inertia, quorum vita vitium, quàm torua & tetrica? bonis denique quàm blanda? oppreſſis quàm lepida & ſuauis?

Vnde originem traxit.

Hunc honeſtiſſimo quidem loco, nobili, & bellicoſa *Humij* familia natum, ad eximiam in vtroq; regno ſedem occupandam ardens virtus cum ſummo

ſummo iudicio, & taciturnitate conſpirans, eleuauit: amoremq; & animũ Regis, omniũq; qui Regi fauent, prę-clarè geſtis, & ſtrenuè factorum diuturna experientia conciliauit. Minima inuidia, liuidorumq; dentium morſu, aut atris conuitijs rariſſimè petitur, & pauciſſimis iurgijs à tergo laceſſitur: caret odio (quantum ſcio) & ſi non careat, non eſt quod curet, ſuſq; deque ferat, quem Deus omni inuidia maiorem poſuit: Sanè magna potentia ſine quotidiana æmulatione, ſine rixis, & maleuolentia, quàm eſt rarum, quàm ſingulare vocationis diuinæ, quàm apertum humanitatis, & probitatis, ac dignę exaltationis documentum?

Rarum diuinæ vocationis documentum.

Neque detrectator quiſpiam obmurmurare audeat, aut cauillari, quòd tantopere à Rege diligatur, & promoueatur, qui ob taciturnitatem, potentiamq; occultarum, & abditarum rerum celatricem, & prouidentiam, Re-

Laudatur eius taciturnitas.

gis secreta accipere, & dirigere aptissimus sit: quę virtus tantò magis est Regi necessaria, quantò plus damni ipsius neglectu conflatur, & creatur: quod ex fabula *Tantali* clarè constat, qui apud inferos damnatus esse dicitur, quòd occulta deorum mysteria vulgauerit, vt Poeta:

Tantali historia.

Damnauit miserũ garrula lingua senem.

Et quod ad concessas opes attinet, illud expendere conuenit, quod argutè admodum dixit *Anaxagoras Pericli*: O *Pericles*, qui claram lucernam nutrire vult, multum oleum infundat oportet: quare sagacissimus, & perspicasissimus Rex probè dispicit, talia regni & reipublicæ lumina sine magnis dispendijs foueri non posse, quibus tamen quæ erogantur impensæ, & sumptus, decuplo fœnore, & prouentu in Regis ærarium & honorem redeunt, ac in patriæ emolumentum; vt semina fertili aruo commissa, largo aristarum augmine multiplicantur, eiusq;

Quæ dantur nobilibus opes, redeunt in honore Regis.

iuſq; qui grana iecit, meſſem ampliter ditant. Vnde honor vberrimus redit in ipſum fontem ; quippe Rex tales purpuratos habens, quantus ipſe ſit, præſagire promptum, & obuia coniectura eſt; eius ſclicet aduentu ingruente, ex omnibus Scotiæ oppidis, pagis, villis, vicis, & ſuburbijs effuſi homines, ei obuiàm & in occurſum ruunt, & erumpunt pálantes, ac curſu puluerulento ad eum contemplandum glomerantur : nec hæc agentes incolæ, *Dumbarrium* ipſum, quanquam virum bonum & excellentem reſpiciunt, aſt herum ipſius, & dominum Regem (cuius illum ſæpiùs mandata perferre & legatione fungi præſciunt;) in Regis gratiam nuncio tam luculentos honores præſtant, vt eo pacto commonſtrent, quanta ſinceritate in Regem ſuum propendeant, quàm vehementer ipſum in pectore geſtent abſentẽ, quanta obſeruantia & obſequẽtia ipſum colant, cũ adminiſtrum præſentem

Amor Scotorum erga Regem.

ſentem tantopere honorent: denique quàm intenſa alacritate, quanta pompa, ac confluentia ipſum eſſent excepturi ouantes, cum regis Satrapam & fidum *Achatem*, Regis authoritate velatum ac coopertum, regis condecorandi cauſa, tam honorificè ſalutẽt, ac tam auidè arripiant, vt ſcilicet de ſalute, & voluntate Regis inquirere, & indagare poſſint: Qui ſi ipſe adueniret, *Dumbarrij*, quanquam argentea lux, quam ipſi impertitus eſt, repentè obfuſcata & obſcurata corrueret; quemadmodũ caput exerente Phœbo, reliqua aſtra fulgore caſſa delitescũt, & magno illo luminari ſcintillas conſpergente cæteræ cœli lãpades opacitate ſua cõfunduntur & erubescunt. Sed moderationẽ animi in eodem præclariſſimo Comite non poſſum non eloqui, vtpote quem, cum tanto amore & reuerentia omnes verè boni, veréq; pij, paſſim tũ Regis, tum ſua cauſa complectantur; tanta tamen eſt

Dumbarrij moderatio & modeſtia

est illi modestia, vt quasi tenuis, humilisq; haberi cupiat, potiùs quàm in alto nitescere: & ne vllos sua malè habeat magnitudo, vllisue displiceat, mediocriter & modicè se apud omnes gerit, moribusq; tantò se submissiorem, moderatioreq; præbet, quantò fortunis, opibus, ac dignitate Rex eum maiorem, amplioremq; reddidit.

Beruici descriptio.

Idem Beruicum oppidum incolit, frequens emporium, & castro inexpugnabili tectum, vetus regnorum interstitium, vrbem turribus, fossis, ferreis claustris, noua arce surgente, tormentis bellicis, cuniculis, militum manu, murisq; & propugnaculis tam horridam & terrificam, quàm aruis, viretis, pratis, pascuis, planitie, aëre, portu, commercijs, nundinatione, nauium statione, piscationibus, aucupijs, & Tueda flumine ipsam lambente & alluente, ac comatis crispantibus montium iugis, amœnam & delectabilem. In quo familiam alit; quę si pietatis

tatis actiones & munia ſpectes, veri Chriſtiani, ſi ædium nitorẽ, ſi modeſtiam & grauitatem, morumq; munditiem & tenorem, Senatoris, vt reipſa eſt, aut Conſulis eſſe videbitur.

Comitis huius pietas

Is quatuor magna habet priuilegia, quibus apertis, aliò pergam. Primum eſt, quòd aduerſi, & peruerſi dogmatis in fide, nulla vnquã ſuſpicione fuerit inquinatus: aſt contrà vt alter *Mordecaius*, non ſolùm ad communes Regis hoſtes profligandos, & perimendos, aſt ad communem patriæ Parentem, atq; eccleſiam ſeruandam & propagandam enixè laborat. Deinde quòd nullius vitij maculoſa nota conſpurcatus, cuiuſmodi ſunt ebrietas furioſa, libido fœda, luxuries diſſoluta, quæ cõmunes aulicorum gangrẽnæ, & morbi ſunt, eorumq; animas, membra, & loculos eneruant, & exedunt. His ſuccedit fidelitas erga ſuum Dominum, quòd in nulla fluctuantium rerum pro-

Eius fidelitas.

procella, ad partes Regi oppositas vel vnicum pilum inclinauerit, ne tum quidem, cum per *Bothuelem* Comitẽ, & alios eius factionis læsæ maiestatis reos, se fati cassibus plus simplici vice circumseptum & ad mortis penetralia propè ductum sciret. Nouissimè, tali sedulitate commendatur, vt Regem manè & vesperè, & omnibus commodis momẽtis sine lassitudine, sine nausea & fastidio, impiger sequutus & præstolatus sit, tam volens animi integritate, quàm diligentia cũctis innotescere, & bonæ conscientiæ studere, omnisque sceleris ac perfidiæ irritamenta respuere. *Eius diligentia.*

Nec animi corporisque summa dexteritate, vt prædictum est, Regi satagebas, ast sparsis rumoribus & fama euentilanti, studebas, vt virtute & magnanimitate tam Asiaticis & Euro, quàm suis fronte innotesceret; quorum ipse ego testis auritus eram.

Salomonem tuo Regi non præferendum

dum in ſeruis ſuis eligendis & remunerandis, fixum ratumque tenebas; quippe nullos, quorum ars eſt inertia, & quorum vita vitium, aſt quos ardes virtus cum ſummo iudicio eleuauit, in famulatum admittit; eorum vnicuiq; quid ſibi propriè ex officio incumbat prouidè (quo omnis abdicatur confuſio) deſignat; atq; ægrè fert ſubditos opprimi, eorumue bona à ſeruis ſuis vel vi præripi, vel aſtutiâ erodi.

Regis prudentia in ſeruis ſuis eligendis.

Liberalitas Regis erga ſeruos.

Seruos tantis ditionibus ampliaſſe prædicabas vt non modò ipſis, aſt etiam poſteritati & liberis ſuis abundè ſubuenire poſſint: nec ægra valetudo, grauis ſenectus, aut longa ab officio mora effecêre, vt alius in ipſorum locum ſufficeretur; aſt contrà, ſi qui ob ingraueſcentẽ ætatem ſe ad aulæ munera obeunda ineptos præuiderent, non tantùm illorum ſtudia & obſequia remuneratus eſt, aſt antiquos ſuos dimittere, & nouos ſubſtituere, ſe egrè ferre ſæpiùs declarauit.

Neque

Neq; pro familia ſua priuatim, aſt pro regnorum etiam ſubditis publicitùs probè proſpicere affirmabas; non enim vmbilicum tantùm regni & meditullium, in quo conſidebat, ſed remotiſſimas etiam partes cura eius peruagata eſt. Senſerunt quàm longas haberet manus, & qui Anglię limites accolunt, & qui montana Scotiæ incolunt; neque illis, neque his leuiſſimum crimen impune fuit. Abigeatus conſuetudo, quæ iam ſub nomine & ſpecie ſtrenuitatis & fortitudinis inualuerat apud limitaneos, eius auſpicijs tam ſeuerè caſtigata, vt nullibi quàm apud illos ſecuriùs & tranquilliùs viueretur; obſtinata montanorum & inſulanorum contumacia, quæ latrocinijs & cædibus perfidiæ plenis in profundam barbariem euaſerat, eius animaduerſione ad tantã humanioris culturæ facilitatem conuerſa eſt, vt mirũ quàm haberet morigeros: atq; hoc pręſtitiſſe eò maiorem gloriã meretur, quò clariùs

Regis cura pro Repub.

riùs constat, non sine magno negotio ab vno præstari potuisse, quod centũ sex proaui per tot annorum & sæculorum volumina non vnquam potuere perficere: adde quòd ille tam insigni opere, quasi ludens & aliud agens, defunctus fuerit; neque enim dum hæc in longinquo per alios ageret, ipse minoribus curis distringebatur: rixas enim & controuersias omnes, quibus omnes ferè nobilissimæ Procerum familiæ distrahebantur, ita fœliciter composuit, vt quorum opera antea per dissidia vti non poterat, iam omnes vnanimi consensu & priuatim & publicitùs concordes habeat; & tormentorũ eiaculatorum ictus & vsũ, quibus turpiter periere plurimi & propè infiniti, interdixit. Qua æquanimitate & sapientia effecit, vt Angli pleriq; insigniores ante *Elizabethæ* diem, sint publicè gratulati, quòd tam raræ indolis, tam magnæ spei, tam excelsæ fortunæ Principem, stirpis suæ

Regis cura pro nobilibus.

surculum

ſurculum & regnorum hæredem, eſſet in orbe relictura. Is nunc demum Angliæ regno potitus, tamque eximius conſtitutus Monarcha, Senatores in omnibus regnis elegit, non ſuperbos, qui caperata & ſupercilioſa fronte inferiores reſpiciant, aſt prudentiores, & eruditos, qui vnicuiq; iura tribuant, & legum irriſores compeſcant.

Regia Magnanimitas.

Tu vt *Salomoni* ſapientiâ, ita mag. nanimitate *Dauidi* Regem æquiparabas; & ſcitè: quia nunquã ei à dextra in aduerſis defuiſti.

Transfretatio è Dania.

Primùm cum Regem ex *Dania* remeantem, iterumq; Scotiam verſus transfretantem, à veneficarum carminibus & incantationibus, horribili procella irruente, ſoſpitem Deus opt. max. conſeruauit: cum enim *Tridentiger*, *Æolus*, *Nereus*, *Thetis*, *Egeon*, & *Triton*, adeoque *Neptunus* ipſe, regias naues in ſui pelagi profundos gurgites & feruida vada detrudere de-

creuissent, adeò vt exanimes ferè Heroes, & naucleri (omni incolumitatis spe sepositâ) Regem suum vitam propè tolerantem deplorarent; Regis tamen mira magnanimitate, fide, & cõsolatione rediuiui, in Scotiam sospites appulerunt.

Nefandi conatus Bothuelis.

Deinde cum *Bothuelis* detestandos & quater repetitos conatus repressit & ludificauit: primùm *Bothuelem*, vagas eius & palantes traditorum phalanges Regium *Sanctæ crucis* palatium clanculùm aggressas, malleis & bipennibus interiectas portas perfringere conatas, non tantùm magnanimitate (domesticis ijsque paucis concomitatus) repressit, ast captiuos plerosque condignis affecit supplicijs. Deinde innumeris *Bothuelis* equitibus premi & infestari subditos aspiciens, paucorum militũ manu stipatus, ijs obuiam iuit: quo viso aduersarij, Regij vultus maiestatem & splendorem ferre non valentes, vltro discesserunt. Tertiò obsidio-

obsidionem asperam in *Falklandiæ* palatio per eundem *Bothuelem* pertulit, vbi fugata non modica sicariorum manu, summam reportauit gloriam. In quibus periculis Regi à dextra nũquam defuisti. Tandem cum per seditiosorum quorundam machinationes in sacrum Regis conclaue introductus, bombardis & ensibus euaginatis rerũ primas animo agitaret, Rex tamen nullo neque timore neque stupore perculsus, illum semel atque iterum expelli iussit: quod imperiũ cum frigidiusculè capescere eos videret, qui vnà aderant, ob seditiosorum multitudinem; quos vi & armis reprimere non poterat, virtute & sapientia repressit: *Bothuelem* amandauit, & tentatum flagitium in ipsius perniciem & domus excidium vertit. In lucta ista nostri *Herculis* cũ *Alexandro Gaurij* fratre, *Anteo* altero, quàm strenuè se gesserit, qua magnanimitate simul ac fortitudine hominem (mirabile dictu)

Exempla Regiæ fortitudinis & magnanimitatis.

ctu) ſtrenuiſſimum, ſuis manibus nullo concurrente proſtrauerit, ſæpè recenſebas, & ex nobiliſſimi *Dirltonij* & *Hadintonij* ore te accepiſſe prædicabas. Ex te *Dumbarri* hęc audiendo intellexi, & ſparſis rumoribus diuulgata accepi : fama autem iſta euentilans non ficti prauiąue tenacem, ſed veri nunciam ſeſe præbuit. Regis amantes moderator orbis regat ac tueatur.

Tua ô Dumbarri,
Nunquam ſtygias fertur ad vmbras
Inclyta virtus: viuito fortis,
Nec letheos dura per amnes
Te fata trahant; ſed cum ſummas,
Exiget auras conſumpta dies,
Iter ad ſuperos gloria pandat.

DOMINVS THOMAS ARESKINVS FENTONIÆ VICECOMES.

HOs sequitur Dominus *Thomas Areskinus*, Dirltoniæ Dominus, Fentoniæ Vicecomes, præsidiariæ Turmæ regis in Britãnia dux, & ex prẽcipuis à cõclaui regis Satrapis, facinoris illius, & Regię liberationis cum *Hadintonio* particeps vir stirpe nobilis; quippe ex celeberrima antè commemorata familia Marria oriũdus, cuius genitor *Alexãder* illius Marriç Comitis qui Scotiæ Prorex fuit, frater erat germanus, & fratre defuncto, in ipsius locum, ad arcium duarum Edinburgenæ scilicet & Stirlinensis præfecturam, regisq; educationem,

Fentoniȳ tituli.

Patris ipsius priuilegia in regno Scotico.

onẽ, ob inuiolatam ſemper *Areskinorum* fidem ſuffectus eſt, quem rex patrem nuncupare ſolitus eſt: qui cum ob ingraueſcentem ætatem, aulæ muneribus renuntiaret, quatuor liberos Regis cliẽtelæ tradidit, quos ille omnes amoris in patrem haud oblitus, equeſtri dignitate inſigniuit. Nec hac beneuolentia contentus, nepotem eiuſdem Domini *Alexandri Areskini, Dirltoneique* ſororis filium, *D. Iacobum* Chrychtonium, Ruthueniæ Dominum, Equitem auratum, virum præſtantem, multis beneficijs ornauit, ſibiq́ue deuinxit; cui rex tum nomen de ſuo nomine in ſacro baptiſmo conceſſit, tum vt amor erga infantem inchoatus ad maturam ætatem prorogaretur, cuſtodiæ corporis ſui inuiolabilem curam ipſi inter primos demandauit; cuius fidem, probitatem & alacritatẽ multiplici experientia nuſquam defeciſſe didicit. Ille etiã Dirltonius ex b: llicoſa, ſplendida & florente

Regis amor erga Alexandri liberos.

rente *Humij* Comitis familia, materno genere procreatus (ex qua etiam prædictus ille nobilis comes *Dumbarrius* originem traxit.) Sed qui morum nobilitate genus anteuenit, vir corporis elegantissima proportione & exquisitissimo vigore prędituſ; astanimi dotibus longè pulchrioribus elucens, vtriusque partis ornamentis fulgens sine næuo. *Maternum Fentoniæ genus.*

Quas dotes summa ijs adhærens animi moderatio, magis adhuc cohonestat; siquidē cum *Cyro* diceretur pręstare quidem ipsum re militari, sed multo magis humanitate; respondit *Cyrus*: Et mihi multo iucundius est; humanitatis quàm rei bellicæ opera demonstrare: ita tibi laudatissime Comes, quanquam magna sit potestas, tamen ex mansuetudine & comitate tua, magis quàm ex potentia, laudis seges enascitur & exsurgit. Te verò ab *Hadintonio* diuellere & seiungere nefas *Ipsius moderatio.*

esset, qui tam heroicis & fulmineis manibus coiistis ad communes patriæ hostes profligandos & perimendos, ad communem patriæ Parentem & præsidium seruandum & propugnandum. Qui *Dirltonius*, cum Regem mœstum & ambiguum, fatiq; cassibus circumseptum, *Marrium* cognatũ semel atque iterum acclamantẽ audiuisset (vt suprà meminimus) ad *Gaurium*, concomitante fratre *Iacobo*, sese conuertit, amboq; hæc minantia verba protulere. Tu huius tragœdiæ & facinoris actores & author, tu concinnator doli, tu nobis hodiè pœnas lues, tu tuo Regis mortem sanguine piabis; nos te illius manibus inferias mittemus: & hæc locuti, ipsum protinus confodissent, nisi ruentis turbæ confusione, & mole interueniente prohibiti fuissent. Nec tamen sic conatus deseruit Vicecomes, quin altera etiam vice reuersus, eum trucidare in mentem induxit; vbi aggregatis etiam hominum

Magnanimitas cõtra Gaurium.

minum cæteruis impeditus, ad Regem velocitate mira penetrauit; & quem inferiùs tollere decreuit, eum ſuperiùs *Hadintonius*, *Fentonio* concurren- *Gaurij mors*
te, deleuit. *Dirltonium* propero pede ſequuti ſunt *Hugo* Hereys Regius medicus, quem idcirco Rex Equeſtri dignitate inſigniuit, & ditionibus ampliauit. Et *Georgius Wilſonus Dirltonij* famulus, quem ex plebeio nobilitauit. Tandem per eoſdem priuatos gradus, quibus prædicti quatuor, aſcendit *Robertus Brunus* Regis cypharius, qui ſimul ac Regem ſaluum, *Gauriumq;* transfixum conſpexit, fatalis cubiculi oſtium priuatum ad hoſtes quoſlibet prohibendos, adiectis lecticuli fulcris, firmauit.

Nec hæc cõtẽtus feciſſe vicecomes, gladiũ etiã ex feneſtra patenti extulit, & magiſtratibus vrbis regis authoritate mandata dedit, vt turbam collectam & tumultuantem quamprimùm diſſiparent, & ad ſuas relegarent ædes: cuius

ius iussa audientes, *Ioannes Brunus* eiusdem vrbis incola, & vir literis rerũq; cognitione imbutus, ac quartæ partis oppidi in qua *Gaurii* palatium situm erat, custodiæ vigiliæq; præfectus, & *Henricus Elderus* vrbis archigraphus, populo astanti imperârunt vt retrocederent, & motu composito ab istis locis abstinerent: quorum iussis & nutui obsequens vulgus obtemperauit, & cuncti ad sua domicilia sese contulerunt. Tum *Brunus* & *Elderus* prædicti ad Regem properarunt, ipsumq; rogarunt vt omnem zelotipiam perfidiæq; suspicionem deponeret; quippe cum Parthanos eo esse animo pollicerẽtur vt Regi soli, neque Baroni, neque Comiti, neq; præfecto serui addicti essent, & deuoti: quæ Rex hilari, quieto & benigno corde accipiens, respondit, id se mente fixum & immotum tenuisse: quamobrem etiam spospondit futurum, vt culpam illam ciuitati nequaquam imputaret,

putaret, aut vitio verteret; quod & re ipſa præſtitit: neque enim vrbem modò vt indemnem, inſontemq; dimiſit, ſed & ipſam priuilegijs & ornamentis nouis amplificauit. Quàm dira Erynnis veſtris ictibus concidit? Quarum rerum indices, geſtas & teſtes, O *Dirltoni*, in manibus tuis, vibices, & cicatrices, quàm generoſas, quã nobiles? Tuæ dexteræ liuores indicant te pro patriæ ſalute acinacem contorſiſſe, neque cruentas diffugiſſe plagas; qua in re, tu *Philænis* fratribus Pænis, *Codro* Athenienſi, *Theopompo*, *Portio Latroni*, *Thraſybulo*, & *Epaminondæ*, *Agiſelaoq;* componendus es. Memoriæ proditum eſt, *Pyrrhum* in primo illo conflictu, cum Romanos Elephantorum nouitate expauefactos, *Leuino* Conſule detritos fudiſſet, & iacentes aduerſis vulneribus confoſſos cerneret, in has voces prorupiſſe, hæc gementem verba eructaſſe: *O quàm facile eſſet mihi, ſi tales haberem milites*

Dirltonius pro Rege vulneratus:

Comparatio

milites, totam terram ad deditionem, breui & ingum subeundum cogere: ita si tui multos haberet, Monarcha noster similes, *Fentoni*, quàm subitò vt flamma tædas peruadit, per orbem curreret? similes inquam, qui non retrorsùm,& à tergo,sed aduersum,& à fronte,in thorace,aut palmis,tam præcipiti,ast non incautâ ferociâ enses,& hastilia exciperent;quod tu ea vice *Achillæo* more peregisti.Ego tuum Dominum Regem lacessere volenti, pro tua parte dico:

Horat. — *Caue,caue;namque in malos asperrimus,*
Parata tollit cornua:
Non si quis atro dente se petiuerit,
Inultus vt flebit puer.

Sensu recto,etsi mutato metro.

Historia de famosissimo Persa. Teq; vice iterata, famosissimo Persæ persimilem animaduerto, qui cum vnum ex *Magis*,Regnum pro *Smerde Cambysis* filio vsurpantem, inuasisset, ac cum eo complicatis amborum corporibus luctaretur, astantes *Magum* feri-

ferire non poterant, niſi ipſum vnà transfigerent: tum ille cunctantes videns, vtrumque, inquit, percutite, neu per mei corporis medios aditus, eum tranſadigere hæſitetis; adeò quippe amabat patriæ libertatem, vt ipſe mori maluerit, quàm vt perduellis ille latro, & pro *Smerde* ob formæ ſimilitudinem, ſubornatus, diutiùs regno potiretur: ita tu in præſentiſſimæ mortis fauces & compedes, te ſciens, volenſque conieciſti, vt patrię Spem periclitantem eriperes:

Tu, atque *Ramiſæus Hadintonius*, auro, lapillis, oſtro, murice ac purpura velandi eſtis.

Tibi, heros magne, Rex obnixè fuit cordi, ille tuis affectibus inſitus & irradicatus fuit, tu iuris ſui conſtãtiſſimus, & pertinaciſſimus aſſertor exſtitiſti, tu in ipſius aula & palatio, in excubijs & labore iugi, annos multos inculpatè tranſegiſti; cuius merita Regis affluentia honorificè coronauit.

Et

Et hoc luculentum commodauit elogium:

Decori decus addit auito.

D. IOANNES RAMISÆVS, HADNIÆ VICECOMES.

DIligit & noſter alios complures, eoſq; præmijs, dignitatibus & opulentijs amplificauit. Ijs nunc demum tantis terris ac ſceptris accumulatus, tot opibus quaſi vnguentis delibutus, tamq; eximius conſtitutus Monarcha, debita ſtipendia & ſalaria retribuit, eoſque ducibus adæquauit, & excellentiſſimis eorum, quos vel Monarchæ, vel Reges, vel Imperatores, in ſuis regnis extulerunt.

Hi ſunt, *D. Ioannes Ramiſæus*, Barnę Dominus, Hadniæ Vicecomes, audaciſſimę & infractæ mentis, ac maſculi *Tituli.*

culi ſpiritus vir, Regis clipeus ac ſcutum: qui in nefanda illa fratrum coniuratione, ſicarij & proditoris impiũ pectus victrici dextra & noxio mucrone traiecit; ac Regiæ ſalutis adeò fuit appetens, vt ſuæ profuſus euaderet. O excordia corda! O virum magnum & decantandum, qui carnificis iugulum, immò cordis fibras enſe petijt, amboſq; confecit!

Hadintonij cura & magnanimitas pro Regis vita protelanda.

Ramſæe ô iuuenum flos, & lux vnica gentis,
Conſpicuus formâ, nulli probitate ſecundus;
Verborumq́ fides & mens ſibi conſcia recti:
Nec bellis animus, nec forti dextera pugnæ
Deficit, ingentes præſtans ad fortia vires
Prælia; cuius adhuc vix pubeſcentibus annis
Prima rudimẽta & rigidi certamina Martis,
Adrapidũ Taij ſenſit modò Gaurus amnem:
Ramſæe ô præſtans animi, qui vindice dextra
Seruato noſtram ſeruaſti Principe Gentem,
Nec dubito, quin Rex tanti bonus arbiter alis
Te celebret, totæ vnum te præferat aulæ:
Sic genus antiquũ, & Ramſæa ſtirpis honorẽ
Inſtauras, patrumq́ tuis virtutibus artes
Exſuperas, famamq́ ipſis maioribus affers.

D D. in Epithal.

Ei talis fuit anxietas de vita Regis protelanda

telanda, qualis primoribus Perſis de *Xerxe*, qui cum piſcatoria ſcapha ab ora Strymonia ſoluiſſet, ingenti vento vexatus fuit, & eo vehementiùs, quòd nauigium viris rèfertum eſſet. Nam ſuper contabulationes frequentes erant Perſę: ibi conſternatus Rex, à *Nauarcho* petijt, num qua ſalus ipſis eſſet, & cum ille reſpondiſſet, Here, nulla prorſus incolumitatis ſpes, niſi aliqui ex his diſſipentur: tum *Xerxes* ita locutus eſt, Viri Perſæ, nunc aliquis veſtrûm declaret ſe curam habere de Rege, quando in vobis videtur ſita eſſe ſalus mea: quæ vbi dixiſſet, illi deſilierunt in mare. Atque ita leuata nauicula, ſoſpes ad Aſiã appulit *Xerxes*: Sic *Hadintonius* pro regis anima, ſęuis & rabidis lupis guttur ſuum obiecit. *Comparatio*

Et idcirco ei comitas & benignitas Regis, tempora radiante tiara redimiuit, Equitemque auratum inſigniuit, inde Baronem, & tertiò Vicecomitem adaptauit; cuius exalta- *Exaltationis gradus.*

tionis documenta & causas, in *Hadintonij* charta, sub sigillo magno, per expressum inseri volebat; quorum expressa verba sequuntur.

Hadintonij charta.

Præsertim fœlicissimi seruitij sui, in persona nostra Regia fortissimè defendenda, & liberanda ab insidiosa & nefaria duorum nequissimorum fratrũ Gauriorum *coniuratione, quos in caput nostrum innocens & inarmatum immanissimè ruentes, fortunata manu exanimauit: in cuius opportuni subsidij perpetuam memoriam, nobis in maximo vitæ discrimine fortissimè luctantibus, fœlicissimè lati, ad immortales Deo opt. max. gratias semper agendas, fœlicem liberationis nostræ diem perpetuò celebrandam deuouimus, atque præfato seruienti nostro, cuius fortitudinem virtus diuina voluit primas huius præclari facinoris meruisse, insignia nobilissima dedimus, auitæ videlicet aquilæ suæ ensem adiecimus manu valida vibratum, & per centrum cruenti cordis transmissum, mucrone co-*

ronâ

ronâ Regiâ coronato, cum hoc præclarissimo & memorando elogio.

Hæc dextra vindex Principis & patriæ.

Tandem incredibili Regis studio & fauore, fœliciſſimis nuptijs beatus lectiſſimam virginem *Elizabetham Ratleam*, *Roberti* Suſſexiæ Comitis, Periſcelidis Equitis, filiam natu maximam in matrimonium accepit: cuius Comitis maiores omnes à remotiſſima memoria, magno nitore & authoritate, tum in bello & armis, tum in Senatu & Republ. per vniuerſam Angliæ ditionem claruerunt; quorum quinque immediati ſplendidiſſimi ordinis Periſcelidis ſiue Garterij Equites fuere: quibus & ipſe ſimillima ſoboles, tali luce fruitur & æquali decoratus lumine renidet. Nec ad operam tantùm Reginæ *Elizabethæ* priuatim, ſed & patriæ publicitus vtilem locandam appellatus eſt: *Iacobo* enim tunc Scotorum, nunc Magnæ Britanniæ Regi natus erat filius

Vxorem ducit Suſſexiæ Comitis filiam.

Suſſexij legationes.

lius *Henricus*, iam Walliæ Princeps: quare mittendus aliquis erat qui non modò Regi in tanto gaudio congratularetur, aſt qui in Reginæ *Elizabethæ* locum ſuffectus, nomen puero Principi de ipſius patris *Henrici 8.* Anglorum Regis nomine, in ſacro baptiſmo concederet: hanc ille legationē impoſitam tanta cum laude obijt, tam fœliciter renunciauit, vt poſtea in Angliam redux, rei bene geſtæ omnium conſenſu gratias acceperit: quem Regina *Elizabetha*, quia fatis ceſſerat, *Iacobo* Regi in ipſius locum ſuffecto remunerandum reliquit; quid præterea & quanto cum ſumptu egerit, Regi ipſi, qui incorruptiſſimus dignitatis iudex eſt, iudicandum relinquo.

Hadintoniȳ humanitas.

Nec me tanta tuæ altitudinis, quàm māſuetudinis, bonitatis, & quam omnes in te dilapidant humanitatis admiratio rapit. Quippe qui non modò Regem, lares, penates, patriam, populum, littora & plebem Britanniæ, funeſto

neſto interitu, & extrema atque irreparabili ruina, ictu viuido eripueris, verumetiam & manu tam ſis firmus, formidabilis, & robuſtus, & mente tam animoſus, intrepidus & ſagax; ſic moribus adeo mitis, lenis & tractabilis, blandus es & φιλανθρωπος, vt neque minores contemptu, caperata & ſupercilioſa fronte aſpicias, neque pares æmulatione & zelotipia, neque ſuperiores inuidia, liuore aut obtrectatione proſequaris.

Qua æquanimitate arguitur, non niſi per atrium, & ſacrarium virtutis, ad fortuæ adyta & altaria, tibi introitum patefactum fuiſſe, ſicut quondam Romanis ad Fortunæ delubrum ituris, per Virtutis fana & templa pergendum erat.

Viue diu vitæ noſtræ defenſor, in pace viue, qui pacem nobis tui ſanguinis pretio redemptã ſanxiſti. Nulla te tempeſtas ignobilem & ingloriũ, quanquam in buſto iacentem latere

permittet, qui viuens, virtute, quàm fide aut opibus, ornatior sis, quibus etiam inter populares tuos Britannos longè ornatissimus es.

Surge, age & merito sacrum caput insere cælo.

IACOBVS HAYVS, HAYVS DOMINVS.

Succedat istis *Iacobus Hayus*, Baro illustrissimus, & fortasse, non vt ordine, ita meritis inter postremos. Certè vt nomen eius in hoc æternitatis albo inscribam, multæ causæ me mouent: nemo Regiæ munificentiæ testis locupletior, nemo Regi charior, nemo charior Musis. Quare quàm vellem vel suo, vel illarum nomine, laudes eius sicut par est ad immortalem posteritatis memoriam transmittere, sed lubricus est locus cui insisto: si pauca dixero, liuenti similis, si multa, proximus fuero blandienti. Vtar tamen ea moderatione, quæ neque

minus dicat quàm virtutibus eius debetur, neque amplius quàm verecundia viri tam ingenui volet agnoscere: quod dum facio, ordiar ab ijs quæ ille postrema ducit.

Hayi natales. Pater.

Genus, illi dubium, vtrum clarius à paterna, an materna stirpe. Pater *Iacobus Hayus* Eques nõ obscurus (cui propter illibatam vitæ integritatem, prudentiámque non vulgarem, non tantùm locus inter intimos sacri consistorij Consiliarios in Scotia attributus est, sed & rerum priuatarum Principis in eodem regno, cura & administratio demandata,) natalium claritudinem ad illustrissimam *Æroliam* familiam non obscuro tramite refert. Putà cuius pro-auus Baro *Enzeensis* frater fuerit illius Comitis *Æroliæ*, à quo quartus iam abest is qui hodierno etiamnum die familiæ istius dignitatem & splendorẽ summa cum laude tuetur, & omnibus virtutum numeris tam probè est instructus, vt nulli nobi-

lium

lium cedat. Mater *Margareta Morauia* ex illustri *Pomesiana* familiâ oriunda, præter innumeros non obscuræ notæ viros, etiam *Marriæ* Comites, totámque illam latè famigeratam *Areskinorum* gentem arctâ consobrinitatis cognatione attingit. *Mater.*

Sic domus est titulis vtrag, fulta suis.

In paterna tamen eo libentiùs iuuat immorari, quòd eam habeat originis celebritatem, cui nihil aut simile, aut secundũ, tota antiquitas audeat opponere, & quia non tam exanguibus fumosarum imaginum titulis nititur, quàm commendatione rerum præclarè & penè vltra fidem fortiter gestarum: quod de ea annales indubitatæ fidei, & omni exceptione maiores prodidere, non pigebit hîc adscribere. Quo tempore *Kennetheus* eius nominis tertius, Scotis imperabat, Dani in Scotiam traiecerunt, & iuxta *Bertham* oppidum prælio commisso, Scotos in fugam verterunt. Colebat fortè agrũ pro- *Hayorum origo.*

propinquum, per quem plurimi fugiebant, homo plebeius cognomento *Hayus* cum duobus vnà filijs: qui cum corporis animiq; viribus magnis essent, nec minore in patriam charitate, pater iugo, filij, quod cuiq; in promptu fuit, pro armis accepto, vbi densissimum fugientiũ agmen conspexerunt, obuiam loco angusto profecti, primùm conuicijs, deinde minis fugientes sistere conantur: his vbi nihil proficiunt, proximos feriunt, se quoq; vociferantes aduersus fugientes, Danos futuros: ad hæc timidiores consistunt; fortiores, qui nõ tam metu quàm turba suorum abrepti terga verterant, ad eos se aggregant, clamantes auxilium adesse; ita totum agmen in hostẽ conuertunt, & Danos non minus trepida, quàm ipsi venerant, fuga, retro ad suos compellunt. Sic parta victoria, cum spolia victores diuiderent, *Hayus* in omniũ ore erat, omnes scilicet vno ore fatebantur, se prædam, victoriam, famam

famam, salutem *Hayo* & eius liberis debere. Quare ad Regem perductus, dignus visus est, qui honoribus & prę-mijs afficeretur : ager ei datus vnus propè totius Scotiæ fertilissimus, quē adhuc eius posteri tenent: ipse è plebe in ordinem nobilium relatus; insignia ferenda (vt mos est nobilitati) data, scutum argenteum, in cuius solo tria scuta rubricata insunt. Atque hæc de genere fortasse nimis multa, certè vereor ne ille tanquam aliena auersetur.

Nam genus, & proauos, & quæ non fecerit ipse,
Vix putat esse sua.

Iam de corporis bonis, in quibus quàm liberaliter ei natura indulserit non est facile expedire: scio quicquid dixero, minus erit, animaduertoq; vt depressus pōdere laudū, quas hoc nomine meruit, ingenij mei sterilitatem potius detegam, quā eius pulchritudinem vt par est repræsentem: quia tamen

De corporis bonis.

men non est illi tanti formæ hoc fluxum & fragile bonum, vt propter illud exactè laudari velit; nec illi vlterior eius cura est, quàm vt secundũ *Socraticum* præceptum meditatione formosę pulchritudinis prouocetur ad agenda ea quæ deceant formam. Quicquid alij sentiant, non metuo ne ille præuaricari me iudicet, si tantùm confusa delineatione defungar: certè ad posteritatis notitiam sufficerit indicasse eam in eo esse gratiã oris, maiestatem frontis, oculorum vigorem, proceritatem corporis, membrorumque omnium eam symmetriam & decorem, vt quoties in publicum libeat procedere, viciniam omnem ad spectaculum sui euocet, & non tantũ omnium ora, sed & animos in se conuertat: nec immeritò, quamuis enim exteriùs hisce ornamentis vsque ad miraculum fulgeat, longè tamen maior est in eo internæ pulchritudinis fulgor; tantumque abest vt animus corpori

corpori sit indecor, quinimò speciosas ædes longè speciosior incolat inquilinus: dij boni, quàm rectus & erectus, & vt multa paucis complectar, quàm verè heroicus! Virtutes quæ in alijs separatæ laudem merentur, in illo conglobatæ admirationem excitant. Nihil loquar de eis quæ ei communes sunt cum multis, sed humanitatem, liberalitatem, magnanimitatem, prudentiam in obscuro latere non patiar; has scilicet ille sic excoluit, vt peculiariter suas fecerit, & extra illum vix inueniantur nisi marcentes, & languidæ: has scilicet ille ita moderatur, & temperat, vt (quod *Agesilao* à Lacedæmonijs factum ferũt) iure illi mulcta dici possit; quòd omnium corda, beneuolentiãque laudabili furto surripiat: his denique ille tanquam alis subuectus est ad hoc honoris fastigium, quod illi iamdiu gratulati sunt omnes viri boni, nec ipse liuor pudore victus, ei ausus est in- *De animi bonis*

Ad aulam proficiscitur.

inuidere. Non ille vbi aulam cogitare cœpit, ſtatim curuis ambagibus ambire cœpit honores, ſed quibus artibus effecit vt publicè omnibus gratus & acceptus eſſet, ijſdem Principis fauorem, beneuolentiamq; eſt adeptus. Gallia illi rudimenta dederat bene informatç iuuẽtutis, hîc ille pila ludere, equum flectere, rudibus batuere, in numerum ſaltare didicit, aliaque omnia ſumma cum fœlicitate agere, quæ decerent virum nobilem; his ſtudijs ita enituit inter æquales, vt ſtatim Regi innoteſceret, cui cum aliquam multos annos omni obſeruantiæ genere fidem, induſtriamq; probaſſet: continuò dignus iudicatus eſt qui inter amicos primæ admiſſionis haberetur, & ad honoriſtitium ſacri conclauis aſcenderet; qua in dignitate ita ſe geſſit, vt breui ad maiora negotia capeſſenda, & ad operam non tantùm Principi priuatim, ſed & Patriæ publicitùs vtilem locandam appellaretur.

Cha-

Catharina Borbonia Regis Christianissimi soror fato cesserat: quare mittendus erat aliquis, qui in tanto luctu Regi condoleret. Hanc ille legationem impositam tanta cum laude obijt, tam fœliciter renunciauit, vt non minorem apud exteros, quàm apud populares suos laudem meruerit; certè in patriam redux tam bene se gessisse omnium consensu iudicatus est, vt ab optimo principe hæc virtutis præmia acceperit: primùm, ex Equestri ordine in illustrissimum Anglicorum Baronum numerum cooptatus est, mox Regijs vestimentis eligendis & adseruandis præpositus; tandem Rege ipso conciliante, fœliciſſimis nuptijs beatus est, & quibus non minima accessio rebus rationibusque eius facta existimatur. Multa alia, & virtutis tuæ, & Regię amicitię pignora accepisti, illustrissime *Haye*, quæ vtinam hîc omnia sigillatim recensere, instituti huius religio pateretur: sed non est animus

Hayus legatus in Galliam.

Baro factus

Regijs vestimentis præfectus.

Vxoratus.

en-

encomiasticon pangere, libamus tibi tantùm in transitu, non sacrificamus:

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu,
Si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto.

Interim viue feliciter, & conserua nobis vnum, penè dixeram vnicum, columen literarum & armorum.

IACOBVS COLVILLVS, VIMÆI DOMINVS.

NEque D. *Iacobum Colvillum*, *Colvillum* Baronem, *Vimæum* Dominum, inuictissimi pectoris virum, silentio transilire conuenit; quippe qui rei bellicę encomijs & trophęis, Regi, patriæq; ampliorem laudem sit promeritus, quàm alius nostræ tempestatis quilibet: vt frequentes eius labores in acie, in prælijs, in duello, in vrbium obsidione exantlati declarant. *Bellator clarus.*

Qui *Rupellam* opportunè appulit, cum raræ admodum & infrequentes essent Regis Gallici copiæ.

Qui contra *Mercurium* coniuratæ factionis Gallicæ Ducem vnum, sese vnà cum vndeuiginti ex suis socijs, en-

sibus & hastilibus, corporibus linea veste tantùm indutis, singulari certamine dimicaturum susceperit, tot ex altera parte oppositis; quam conditionē & congressum hostis detrectauit.

Singulare certamen.

Idem generosissimè se gessit in memorabili illo conflictu *Cultracensi*, vnà cum reliquis ipsius commilitonibus; vbi grauiter vulneratus fuit, & tres equi, sub eo transfixi, ceciderunt. Qui plura vno anno, quàm triginta oppida, mœnibus cincta expugnauit, quorum ipse primus oppugnator, & obsessor fuit; primusq; in *Faletum* idem irrupit.

In cultracensi bello quid præstiterit.

30. Oppida anno expugnauit.

Et ad pugnam *Arkisensem*, cæteris suis Regi Gallico adhærentibus, rerum quibus in expeditione opus erat, ipse apparatum fecit, copiasq; ex longinquis & distantibus oris, ad medioxima regni loca, & ad Regem ipsum pertulit.

Pugna Arkisensis.

Et cum *Diepæ* circumfusis inimicorum cæteris obsideretur Rex, Heros

ros ille *Coluillus*, vnà cum manipulis, & equestribus turmis sibi commissis, in agro & campis circumiacentibus mansit & pernoctauit, cæteris in vrbe aut suburbijs securè delitescentibus. *In diepæ obsidione quid egerit.*

Atque insignis illius victoriæ in prælio *Iuronensi* magna pars fuit, claramq; laudem eo die adeptus est; vbi equus ipsius similiter traiectus fuit. Et ex ipsius vocibus hoc adagium promanauit, cum aliquando quæreretur quid factu opus esset, respondit, *Irruite, irruite:* quæ vox iam inde hostili appropinquante phalange, pro prouerbio vsurpatur: Petentibus enim quid fieri expediat, confestim respondetur, *Adoriamur, Chairgons*, vt dicebat clarus bellator *Vimæus*. *Victoria Iuronensis.* *Prouerbiū.*

Is cum *Noyon* hostium turmis circundata esset, stationem suam & sedē sibi designatam quingentis aduersæ partis equitibus premi & infestari aspiciens, ducentorum plùs minùs militum manu stipatus, ijs obuiam iuit, *Magnanimitas probatur.*

eosque gnauiter persequutus, octuaginta captiuos ad Regem deduxit.

In obsidione Sanualarafensi quàm generosè se gesserit.

Is etiam asperam obsidionem bis pertulit in vrbe *Sanualarafensi*, quo loco nullus anteà tormenti eiaculati ictum, aut machinas bellicas experiri consueuit. Ille tamen intrepidè impetum perpessus est, etiam tum cum equites per murorum rupturas penetrare potuissent, honestasque leges, & fœdera consequutus est.

Qui vbi in transmarina regione Gallia, tam egregia facinora perpetrasset, Regemque nostrum, pristino regno alijs superadditis sceptris, ditatum & auctum accepisset, ouans, gestiensque, ei inter primos *Vidrintonia*, iuxta Regis ipsius spem & votum, in occursũ venit, paratus omne periculũ cũ Rege suo subire; qualiter anteà fecerat cum Rege Gallico extraneo; & suarũ rerum nequaquã parcus, Regiq; minimam omnium molestiam exhibens, ipsum indefessus sequutus est,

Amor Coluilli erga Regem suum.

ad

ad omnia pacis, otijq́; munia, & quæcunq́ue Regi vtilia, aut iucunda esse potuerunt, promiscuè comparatus: quem Rex idcirco, anteà claris fulgentem titulis, ad altiores honores euexit, & Dominum siue Baronem constituit. Is vir verè fortis est, quadratus, & magnanimus, & talis qualem accommodatè his versibus describit *Horatius*: *Baro factus.*

Iustum & tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni,
Mente quatit solidâ, nec auster
Dux inquietus Adriæ,
Nec fulminantis magna manus poli,
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Nec viri sinceritatem, constantiamq́; in religionis puritate retinendâ, reticendam quisquam arbitretur; cum enim Rex Gallicus sacrificulorum carminibus incantatus, & fascinatus præstigijs, inauspicatò, & malâ aui tan-

dem ad lethiferam missam processisset, eum in templi vestibulo reliquit *Coluillus* & hæc addidit: *Hac primâ vice te desero, Rex bellicosissime: in hos vno discrimine terga verto, hîc ego quem antea audacem prædicabas, attonitus hæreo, hîc tua meam vincit audacia.* Et meritò hæc ab eo dicta sunt: nam *Achati* nequaquam conuenit Æneam nigra orci cubilia intrantem comitarij & in vltrices Dei manus sese volenté conjicere, non fortitudo est, sed temeritas, imò amentia prima.

Coluilli in religione sinceritas.

Ille nobilis *Coluillus*, præter alios, his veterum similis est, *Marco Sergio*, qui secundo stipendio dextram manum perdidit, ter & vicies vulneratus est, qui sinistrâ manu solâ quater pugnauit, duobus equis, insidente eo, suffossis, dextram sibi ferream fecit, caq; religata præliatus est; *Cremonam* obsidione exemit, *Placentiam* tutatus est, duodena castra hostium in Gallia cepit

Comparatio 1.

cepit: & *Lucio Sexto Dentato*, qui præ- 2.
ter alias ipsius res gestas, imperatores
nouem ipsius virtute triumphantes, in
triumphis comitatus est; & *Manlio*
Capitolino, qui Capitolium solus à
Gallis seruauit.

Et *Horatiorum* fratrum Romano- 3.
rum alteri conferendus est, qui *Hora-*
tius vnà cum fratre, cum fratribus du-
obus *Curiatijs* Albanis monomachiâ
congressus, (dum inter Romanos Al-
banosq; de imperio, & limitibus agi-
tata lis, ipsorum sanguine dirimenda,
decerneretur) prostrato germano, v-
trumq; *Curiatium* solus deiecit, hosti-
umq; manubijs & opimis spolijs o-
uans, ad suos reuersus est: *Albæque*
subactâ pertinaciâ, suæ ciuitatis caput
extulit, hederamq; victricem, sibi ac
patriæ vacillanti acquisiuit.

Viue ac diu dura heros *Coluille* mul-
tis nominibus spectatissime,

Virtutis veræ custos rigidusq; satelles.

Et has affectus mei, animiq; tuarum virtutum amantissimi, indices paginas hilaris accipe.

DAVID MORAVIVS
Sconæ Dominvs.

SEquitur D. *Dauid* Moraiius, *Sconæ* Dominus, Præsidiariæ cohortis Dux, & Regis in Scotia Cõsiliarius, honestissimo quidem loco, & speciosissima tribu *Baluerdana* (cuius hæres etiamnum viget, Baro & Eques illustrissimus, vir iudicio acerrimus, & asperrimus manu, maioribus simílis) oriundus est, sed multo altiùs germanæ virtutis alis suffultus assurrexit; acerrimus æqui defensor, cædisq; ac violentiæ, & prædationis exactissimus vltor: ad quos fines militari manu, ac viuidæ fulmineæq; iuuentutis ac Celerum turba, à Rege donatus est, qua stipatus

Titulũ.

Genus vnde

Æqui de-fensor.

tus vagas & palantes prædonum phalanges territat, & in regni vmbilico consîdens, apparitorum suorum emissa velitatione, omnes regni oras, tacitasq; cauernas quietas & pacatas efficit, & legum irrisores compescit.

Perthi præfectus. Præest etiam Territorio vetustissimæ ciuitatis Perthensis, ubi Ius seuerissimè pronunciat; vnde fit vt oppidum securè & tranquillè quiescat, & nunc opima, & diuitijs tumens euaserit. Quod præstitit *Thrasybulus* Athenis, & *Timoleon* Syracusis, id ille Pertho commodauit. Idem à secretis Consilijs assidet, fidéque intemeratâ apud Dominum nitet, vir constans, cordatus, quadratus, & teres, Regiq; *Baro factus.* à teneris vnguiculis irreprehensâ fidelitate exploratus; quem idcirco Rex ex Equite in Baronum ordinem adaptauit.

Et hîc etiam oblatrare desinant maledici, qui inuidentiæ tabifico malo, sua coquunt ilia, sua exedunt præcordia

dia insulsi: vtiq; plerique sunt qui alienis bonis, perinde ac suis malis mœreant, vt festiuiter dixit *Bion* Borysthenites cuidam inuido subtristi: Amice (inquit) vtrum mali quicquam tibi, an alteri boni aliquid contigit, quòd te dolentem video? Et hîc Sconę Domino, prædictisq; præclaris (quorum splendidas virtutes Regis affluentia honorificè coronauit) hoc est, eorum encomijs coronidem applico. *Inuidiæ descriptio.*

ATque hæc de Scotis dicta sufficient: sequuntur Angli: quod quisquis es qui hæc legis, tam candidè ad te perueniat velim, quàm à me simpliciter factũ est: néue aliorsum scripta mea trahas, oro, quã à me destinata sunt. Nulli nos neque viro neq; populo hîc derogatum imus, neque censores neque designatores sumus, in qua theatri parte quisque sedeat, nostrâ nihil interest: suum cuiq; locum integrum relinquimus, quem in-

inſtituti noſtri oratio ordinem nobis præſcripſit, eum amplectimur, eum ſequimur, ne tantillum quidem detorquentes aut amore aut odio, quorum cauſas procul habemus. Animus fuit citare nō omnes, ſed aliquot Regiæ munificentiæ teſtes: & quos priùs laudare par erat, quàm eos qui primi in famulitium Regis adſciti, primi fidem induſtriámque Regi probarent, primi mercedem laborum acceperant, primi denique teſtimonium perhibere poterant? Hac in parte ſi fortuna temporis Scotis fauerat, (credo) neque mihi, neq; illis fraudi erit, ſi illos primos ad teſtimoniū dicendum aduoco: ſecundo autem loco appellem eos qui tempore ſucceſſerunt; vbi autem ſucceſſere, (non negarim) fortaſſe omni obſeruantiæ genere officiorúmque ſedulitate adæquarunt: è quibus hîc paucos ſubiungam, imitatus aſtrologos, qui dum ſtellis deſcribunt, non omnes (hoc enim infiniti

niti esset laboris) sed insigniores radio demonstrant; ita dum eos Regiæ liberalitati testimonium perhibere volo, exactam enumerationem non instituam, digitum tantùm quasi intendam ad nonnullos, in quibus luculentissima Regiæ liberalitatis exempla elucent.

DO
T

creta
riſcel
illius
ſtoris
funct
thori
æqua
conſp
& ma
ge co
Q

XUM

DOMINVS ROBERTVS CECILIVS, SALISBVRGI COMES.

HOrum primus est D. *Robertus Cecilius*, Salisburgi Comes, magnus & prȩcipuus Regię maiestatis apud Anglos Secretarius, Eques ex eximio ordine Perisicelidis, Regis Consilarius, præclari illius Domini *Burghlei*, Angliæ quæstoris siue Thesaurarij filius; qui defunctæ Reginæ æuo, sũma fide & authoritate claruit: in cuius locum, ob æquanimitatem cum summo iudicio conspirantem, iam tandem suffectus, & magnus Angliæ Thesaurarius à Rege constitutus est. *Titulũ.*

Quantum igitur valeat celeberrimus

mus ille heros *Salisburgenſis*, vt maximo ſuo gaudio, gloria & fructu vidit & comperit Rex, vt maximo ſuo cõmodo & vtilitate ſenſit & experta eſt Britannia, ſic Europa tota, omnes habitabiles zonæ, quicquid terræ colitur, audiendo intellexit, & ſparſis rumoribus diuulgatum accepit: fama autem iſta euentilans non ficti prauique tenacem, ſed veri nunciam ſeſe præbuit; virtute enim tam innoteſcit *Aſiaticis* & *Euro*, quàm ſuis fronte. Neque enim magnorũ virorum merita obliuionis & ſilentij ſepulchro obrui poſſunt, nec ſine cauſa κινυμένη eius cognoſcendi tanto flagrat ardore; quippe quam & ipſe quaquauerſum patet, penitus concepit, & quæcunq; in ea geruntur, quotidie per angarios & tabellarios ſuos perluſtrat, & cura prorſus inimitabili per ſpeculatores pertentat, ac clanculùm ſubolfacit.

Eius fama.

Prouida eius circumſpectio.

O gentem Anglicanam terq; quaterque beatam! quæ non ſolùm talem ſpe-

ſpeculatorem, ſed Caput aſſequuta es, Caput O quàm niueum, quàm aureum, quàm fulgidum, *Iacobum* Regum decus, regnorum columnam & ſtatumen, populi fulcrum! cuius nutu contremiſcat orbis & reficiantur ſui. Anglia, Anglia, vt Ilex bipennibus tonſa, per damna, per cædes, ab ipſo letho opes animumq; duxit: Regina mortua, quis non putauit abſorptam & extinctam? actum erat de Anglia: at iam quàm proſperè reuiuixit? reuiuixit? immò quanto altiori culmine quaſi in procinctu conſiſtit? ex cinere exanimi quanto fortior parente proles exilijt? non Hydra ſecto corpore, aut monſtrum Colchicum amputata ceruice, fortiùs creuit quàm Anglia, poſt Reginæ exequias, repullulans & rediuiua.

Angliæ beatitudo, regnante Iacobo.

Et magno huic Heroi ex parte non parua grates habendæ; eius tempora populea cingimus corona, ei vittas & lauri baccas, ramoſq; nectimus: quòd

Regi tam fidus fuerit,& Britanniæ toti tam salutarem operam nauauerit. Nam cum inculpatè luceret vt luna, obnixè optabat Solem illum oriri, & è Boreali climate prodire,à quo lumè mutuaretur; quod iam factum : nunc per vrbes Anglas fronte miti & læta equitantem vident ; qui dies Angliæ primus alma risit adorea , primusque pulcher prædicatur, tenebris fugatis.

Amor eius erga Regem.

Nec *Salisburgensem* sua lusit aut fefellit spes : namque Rex vt magnum regni onus in eum deuoluit , ita gradatim, ad supremum honoris & eminentiæ cacumen ipsum sustulit ; qui nunc eorum quos Rex amplificauit, vnà cum alijs paucis choreas ducit, prudentiæ & acuminis Archetypus rarus. Neque mirum si sapiens sit, cùm sapientiæ Parentes ad vnguem teneat, ad quorum præcepta & dogmata tanquam ad normam,suas actiones adaptat;Ea enim constat scientia & exercitatione , eamque *Aphranius* Poeta vsus

Exaltatio.

Prudentia ex vsu & memoria.

vsus memoriæq; filiam nuncupat: *Vsus* (ait) *me genuit, mater me peperit Memoria.*

His ille præpollet, ideo sapientissimus sit necesse est; etenim quid valeat vsus scitè docuit *Seneca* dicens, *Non potest pugil multos spiritus ad certamen afferre qui nunquam fugillatus est.* Ergo natura, cum vsu & exercitatione cohærente, quid fiet? quàm erit ei omnibus numeris completa & absoluta prudentia in quo ista concinunt!

Sed animi moderationem in eodem illustrissimo Comite non possum non eloqui, multarum virtutum condimentum, qua tanto iure commendatur, vt moribus tanto sese submissiorem ac moderatiorem præbeat, quanto opibus, fortunis ac dignitate maior ampliorq; conspicitur. *Animi moderatio.*

Hac virtute *L. Valerum Publicolam* imitatur, qui cum ædes haberet in *Velia* munitissimo loco sitas, populo affectatæ ab ipso tyrannidis suspicio ob-

orta est: quo cognito, immisit qui domum diruerent; secures etiam fascibus ademit, eosq; in populi concione deposuit: hinc *Publicola* dictus, atque altior illi domus ex ærarij publici impensis instaurata fuit. O te *Cecili Publicolam* alterum! quem Regiæ magnificentiæ, & boni publici, multo efficaciùs quàm tuarum rerum cura premit; dummodo Regi bene sit, ac suis, tecum malè agi non posse, fixum, ratúmque tenes: te *Publicolam* iam anteà sæpè comperit, & nunc indies experitur Anglia, & norunt exteri.

Alter Publicola.

Et vt toto mentis molimine rationes deputauit *Salisburgensis*, quo Regi regni Anglici fores recluderet (quas nonnulli improbi furiosa procacitate vt pessulo, obstruere intendebant,) sic maxima eum cupido nunc excruciat, vt eum extra hostilis teli iactum collocatum cernat, vt ab Auerni titionibus tutum & securum sciat: quàm attentè cauet ne regnorum e-

Cura eius pro Rege in Angliæ regno confirmando.

Pro salute Regis,

uerso-

uersores, & stabelliones dissidij, ei detrimentum afferant? vt Consul *Cicero*, *Cæsari* sese satis cùm fortunæ & gloriæ, tum sibi vixisse dictitanti, respondit: *Non possum vocem illam non iniquo animo audire; te hostes inuadunt per-multi: at nos non in excubijs tantùm agemus, vt saluus sis, sed vbi facto opus fuerit, laterum nostrorum obiectus polliceмur*: Ita *Cecilius*, Regis spiritum, & diadema, suis omnibus charioraducit, Regi quàm sibi ardentiùs consultum velit, vt illæsus permaneat. Talis erat, dum auram carperet famosissima *Elizabetha*, talis persistit erga sereniſſimum *Iacobum* in eius thronum suffectum.

Regi suo semper fidus

Sed quo pietatem viri scelere tacea- *Eius pietas.*
am, laudis omnis apicem, basinq; & statumen honoris? qua *Obadiæ*, & *Ebedmelecho*, sanctissimis duorum Regum satrapis, conferendus est; cùm primæ ac Cardinalis virtutis tanta edidit documenta, eáque cunctis nota,

vt ea ſermonis compendio complecti arduum foret.

His artibus creſce, his ad dignitatis faſtigium, conſcende gradibus *Cecili*, liber à lapſu, ſecurus à metu, qui hanc amuſſim & vitę normam ſequaris; neque aculeata crabronum vis, deſidioſi & clandeſtini fucorum morſus, te offendere poſſunt, quem Deus in clientelam ſuſcepit, qui in actionum tuarum frontiſpicio, & exitu tibi à dextris aderit, & (dummodo tali pergas pede) inuigilabit iugiter.

D.

D. HENRICVS HOVARTVS, NORTHAMPTONIÆ COMES.

HVic succedit Dominus *Henricus Houartus*, Baro de Marnhill, Northamptoniæ Comes, priuati sigilli Custos, Conestabulis castri Douorensis, & quinq; portuum Limenarcha (qui semper aliquis est ex proceribus fidei spectatissimæ) Perisscelidis Eques, & regni Consiliarius. *Tituli.*

Vt te etiam ex relatis, & auditu diligo *Northāptoni*! vt in te animus meus feruet, & exæstuat! quàm tua te doctrina multiplex, mentis vigor, & cōstantia extollunt? quàm timidè censuram tuam in his meis nugis dijudican-

dis seueriorem deprecor? quàm auidè percupio mitiorem stringi, non aspe-
ram, aut rigoris plenam vibrari? Huic
Virtutes in illo conglobatæ. lingua *Tullij*, mens *Platonis*, grauitas *Catonis* Censorij, manus *Torquati*, *Horatij*, *Horatiorum*q; fratrũ fortitudo, & *Camilli* prudentia concessa est. Sed te, illustrissime Comes, per transennam & obiter attingere quàm foret turpe, quàm infami labe notandum? At dũ lectorem tuarum laudum cantico mulcere cupio, mihi inprimis venia petenda est, quòd tum facultatum mearum inopia, tum rerum abs te gestarum vberrima & largiflua copia, multa supprimere compellant, quę fidibus committi Æolicis, lyræ, & blandè garrulis chordis sociari merentur, & ad exteros deriuari. Qui cum ex
Norfolciæ Ducis frater. magnis & imperiosis maioribus oriũdus sis, eorum laudabiles actiones tam exactè, & propè imitatus es, eorumq; gressibus tam tenaciter insistis, vt sicut in politicis negotijs nostri tẽporis celebratissi-

lebratiſſimos, ita rerum omni faria ſcientia, ac diſciplinarum liberalium peritia, vniuerſos Europæ ambitu cõcluſos Regum conſultores, & nobiles adæqueris. Neque ſolùm mentem tuam apud te priuatim & ſeorſim ijs ſtudijs oblectaſti, nec meditationibus tanquam animæ pabulo teipſum pauiſti, ſed & ſophiæ, & politiæ concepta, & retenta dogmata tam ſecundo greſſuex cordis tuiſcaturigine in vſum publicum emanarunt; & ipſorum effecta, & fructus maximi momenti fuiſſe, ad Angliæ Serenitatem propugnandam, experientia longa didicerit. *Cura pro repub.*

Tu *Mariam* ſereniſſimam Scotorum Reginam, indubitatam regni Anglicani poſt *Elizabetham* hęredem incorruptam, vtriuſq; roſæ tam albæ quàm rubicundæ propaginem, & totius orbis ornamentum, poſtquàm ex ſuo regno ordinum diſcordia, & temporum iniquitate exturbata, & in

An-

Angliam fatali quādam tempeſtate delata eſſet: non modò literis, vt virum bonum & generoſum decebat, conſolatus es, ſed conſilijs etiā recreaſti: & totis viribus in hoc incubueris, vt tantæ maieſtatis ſurculum, tantæ bonitatis ſpecimen, tantæ, tamq; illuſtris ſobolis parentem, ab imminente procella, & æmula virtutis inuidia vindicares.

Northamptony cura pro Maria Scotorum Regina.

Suadebas illi etiam ſæpenumerò vt ad minuendas erga illam Reginæ *Elizabethæ* ſuſpiciones, totam conuerteret & nauaret operam; quòd tibi ex diuturno rerum vſu conſtaret, lectiſſimam illam Principem non tam naturæ ſuæ acerbitate aliqua, quàm crebris maleuolorū accuſationibus, & rumuſculis inflammatam, vt ſibi ab afflicta Principe, & ſanguinis propinquitate, & infinitis neceſſitudinum aſtricta vnculis, tanquam ab hoſte capitali præcaueret.

Nihil tibi viſum eſt & Reginæ, & vtri-

vtriq; regno ſalutarius, vt ſæpe monuiſti, quàm vt *Maria* apud Anglos arctę mancipata cuſtodiæ, Anglorum etiam voluntates atq; ſtudia totis ambiret viribus; nec tantopere tardiuſculis externorum promiſſis, & incitamentis niteretur, vt quam domi penè manibus tenebat ſpem, inconſultò diffluere aut elabi pateretur: & ſciebas & ſuadebas fatalem fore *Mariæ*, diu cum Fortunæ fluctibus & procellis colluctanti, eorum omnium ſine diſcrimine beneuolentiam, qui ſpem longè prope mortem demonſtrabant, & *Elizabethæ*, in cuius potcſtate tenebatur, ruinam & interitũ, non modò verborum contumelijs, ſed & tormentorum etiam tonitru minitabantur. *Salutare conſilium.*

Præuidebas ſapienter quàm difficile eſſet Reginæ tantis ornatæ dotibus, tam multorum expectatæ votis, maieſtate munitæ, innocẽtiâ ſecuræ, & ab ipſo ortu in ſummis enutritæ delicijs, ſuperiorum ſupercilia, inferiorum

riorum maledicta, & Fortunæ ludibria tam patienter ferre, vt nihil illi vel inuitæ, ne etiam dormienti, casu aliquo excideret, quod vitæ tantis circumscriptæ difficultatibus periculum moliretur; ideóque frequentissimè per literas, per tabelliones, per externos etiam, quibus vt illam aliquando inuiserent data est venia, ante oculos ponebas infinita Regum & Reginarum exempla, qui pari afflictæ tempestate, incredibili mentis constantia, in summa rerum & auxiliorum desperatione, ad meliora se reseruassent tempora: hac enim cautione, iudicio, & tẽperantia, multo etiam faciliorem præstantissimo illius filio ad capessendas totius insulæ Britanniæ habenas, fore præuidebas aditum, si matris sapientia & patientia muniretur; vana enim solet esse semper, & inutilis sine viribus, ira.

Prouida circumspectio.

Non minùs verè quàm frequenter illi in animum instillabas, quàm perniti-

nitioſum & ſaluti & expectationi ſuæ illud hominum genus futurum eſſet, quibus parum videbatur tantæ principis ſpe niti, fortuna recreari, & iuuari beneuolentia: niſi temerè etiam, improuidè, ingratè, ad promouenda priuatæ ambitionis curricula, ad acceleranda quieſcentis fortunæ adiumenta, ad turbanda ſtatus pacati gubernacula, Reginæ iam nimis periclitantis vitam, & fortunam incertis rerum ſucceſſibus exponerent, & in ipſam deglutientis miſeriæ voraginem deturbarent, & omnino non eſſe mallent, quã voto non potiri. Multis enim adhuc ſuperſtitibus certum eſt, & exploratum, quàm tempeſtiuè, quàm officiosè, quanto cum periculo maieſtati ſuæ, ſex ante diem fatalem menſibus, præſignificaueris, quantũ illi periculi, niſi ſedulò caueret, crearetur: quòd inſigni cuidam viro inter pocula vaticinium quoddam excidiſſet, breui venturum diem, quo *Mariæ* Scotorum Re-

Debita præmonitio, ſi dys ita viſum fuiſſet.

Reginæ ſectatores & miniſtros pœniteret, quòd baculo nixi eſſent arundineo, & ſpem tam vanã, infructuoſam, & inutilem concepiſſent animo, aut in arena conſeuiſſent.

Northamptonij conſtãtia & magnanimitas.

Te nulli terrores, nulli tortores, nullæ minæ, nullæ blanditiæ ab inſito erga hanc Reginam tam bonam, tam modeſtam, tam inocentem, ſtudio abſterrere potuerant. Primò per octo menſes, deinde per decem, tertiò per tredecim menſes, arctiſſimo cubili incluſus, negato etiam alicuius famuli tui proprij obſequio, aut amici congreſſu: non quòd quicquam in illius gratiam contra præſentem rerum ſtatum aliquando machinatus ſis, aut illorum alicui, qui præmaturis, & periculoſis (vt ingenuè fatear & liberè loquar) conatibus, aut opem, aut conſilium largitus ſis: ſed quòd Reginam lectiſſimam ex ipſis Tartari ereptam faucibus, ad ea tempora reſeruari cuperes, quæ longam miſeriam meliore for-

Pro Regina Maria ter incarceratus.

fortuna compenſarent.

Sperabant illi tuæ virtutis æmuli, dignitatis aduerſarij, & calamitatis architecti, te tandem carceris, & calamitatis pertæſum, ab afflicta fortuna ad florentiorem conuolaturum: ſed tantum abfuit vt in hũc impingeres ſcopulum, vt conſeruandi ſtudium, perſeuerandi conſtantia coronâris, nec priùs ab officiorum viciſſitudine deſiſteres, quàm ſtamen illi mors atra interſecuiſſet. Huis conſtantiæ memor Serẽiſſima Regina, funeſto illo crepuſculo, quo mortem imminentem expectabat, annulum tibi miſit per *Ioannam Kennedam* fideliſſimam ſibi famulam, tanquam firmum voluntatis ſuæ ſignum, & fidelitatis tuæ teſtimonium: ſummo enixa deſiderio, vt fidẽ tuam integram, induſtriam & conſtãtiam in *Iacobum* filium conuerteres: hoc ſibi gratulata, quòd tam raræ indolis, tam magnæ ſpei, tam excelſæ fortunæ Principem, & ſtirpis ſuæ ſurculum,

Eius perſeuerantia.

Maria amor erga filium Iacobum.

culum,& regnorum hæredem, & miniſtrorum remuneratorem eſſet in orbe relictura.

Quàm ingenuè, quàm fideliter, quàm intrepidè à morte matris, erga Regem filium hæc omnia officia præſtiteris,Regi ipſi,qui incorruptiſſimus dignitatis iudex eſt iudicandum relinquo: ſummæ enim tibi curæ fuit labore indefatigabili, dubitantibus argumenta,confirmatis ſubſidia,nutantibus adminicula ſubminiſtrare. Tibi *Northamptoni*, Rex obnixè cordi fuit, tuis inſitus & infixus affectibus; tu iuris illius,priuſquàm illud adeptus eſſet,aſſertor conſtans, poſtquã illud adeptus eſt, defenſor indefatigabilis. Ne quiſquam ſe illi opponeret, regnante *Elizabetha*, cauiſti: ne quiſquã illi nunc noceat, magis caues. Perge ergo quo cœpiſti pede, & enitere, vt multi te in hoc conatu comitentur, vt Rex meretur, & ego cupio. Rex tibi rerum rependet, ego gratiarum ſemper

Northamptoni cura pro Rege.

per rependã ſalaria: & inter has Siculas guerras, hanc tibi inciſo marmore, & Apellæis digno tabulis, & aſſigno, & ſtatuo ſtationem; qui non me gregrarium & vnum ex multis, ſed & noſtrates omnes arctiſſimis amoris nexibus, & ligamentis obſtrinxeris.

O D.

D. CAROLVS HOVARTVS
NOTINGHAMIÆ COMES.

HOs sequitur D. *Carolus Houartus*, Notinghamię Comes, grandis & excelsus Angliæ Thalassiarcha, & Thalassiarchæ proles, in Perisceli dis flammei nitoris ordine per 33. annos miles, Senatorum Secreti consilij vetustissimus, ex magnanimi Ducis Northfolciensis radice nepos. *Tituli.*

Prudentia cum virtute militari in eo certant, & digladiantur vtra primas obtineat, vtra eum sibi vt proprium alumnum asciscat & vendicet, vtrum *Martis* aut *Palladis* soboles & satelles habeatur: ego eam litem intricatissimam esse non diffiteor, quando vtrâque ita polleat, vt prorsus incer- *Prudentia & Magnanimitas.*

tum sit, cui maiora debeat, cui magis debeatur: vt vt sit, vtriusq; laude probatissimis regũ satrapis cõferendus est.

Martis rudimenta decimo tertio ætatis anno est amplexus

Hic in primulo æui limine, decimo tertio ætatis anno, *Waluasorem* Carnuti, clarum bellatorem Pedemontanum, vsque ad glorioſam istam Baronis Tremesij contra Marchionem de Guesto victoriam indefessè sequutus est. Hic asperam obsidionem pertulit in vrbe Dorileo, cum ducis Sabaudię (pro imperatore *Carolo*) turmis circundata esset: quam prædictus Carnuti *Waluasor* magnanimiter tuebatur, vrbemq; obsidione exemit. Hic Metis fuit dum per Imperatorem *Carolum* obsideretur, quam quidem Guiziæ Dux pro Rege suo acerrimè defendebat. Hic expugnationi Hagenoiæ, Iuoiæ, & Damuillerij interfuit. Qui cum pro Gallorum Rege tam egregia facinora perpetrasset, ad Imperatoris bella inuisenda animum induxit, vbi in Augustæ Vermanduorum

Quas pertulit obsidiones. Prima in vrbe Dorileo.

Secunda Metis,

Expugnationes in Gallia.

Imperatorẽ sequitur.

rum conflictu ſe generoſiſſimè geſſit, Taurinum etiam & Hedingam oppida mœnibus cincta expugnauit.

Tandem in Angliam iuxta ipſius Reginæ ſpem, ac votum reuerſus, paratus omne periculum pro patria cum Regina ſua ſubire; qualiter anteà cum extraneis fecerat regibus, apud quos rei bellicæ encomijs, & trophæis, Reginæ, Patriæq; ampliorem laudem fuerit promeritus. Igitur illum Regina *Elizabetha*, 16. ſui regni anno, honorabili Periſcelidis dignitate inſigniuit. Hinc anno Domini 1584. regnique *Elizabethæ* 26. magnus Angliæ Camerarius, & vnus Dominorũ ſecreti conſilij fuit deſignatus, annóq; 1585. grandis & excelſus Anglię Thalaſſiarcha conſtitutus. Hic octo diuerſis vicibus magnus Anglici parliamẽti fuit Seneſcallus, quem etiam locum ſuperaddito Conſtabularij officio, 1602. pro coronatione *Iacobi* magnæ Britanniæ Regis tenebat.

In Angliam reuertitur.

Periſcelidis Eques factus eſt.

Angliæ Camerarius, & ibidem Conſiliarius

Angliæ Thalaſſiarcha.

Angliæ Seneſcallus & Conſtabularius.

Hic carinis Anglicanis præfuit cũ Hiſpani tantum apparatum, tam immanes marinas & nauales copias in noſtræ Britanniæ ruinam inſtauraſſent, anno 1588. quarum rumore non detecta modò fuerunt æquoris funda, & quaſi abſorpti vortices abyſſi, ſed & ipſe *Tridentiger*, *Æolus*, *Nereus*, *Thetis*, *Ægeon*, & *Triton* contremuerunt, putabantq; futurum, vt *Heſperiæ* Rex, orbis terror, mox in priſtinis ſuis aulis vt præſidem ſe iactaret: Sed Rex ille, alter *Xerxes*, qui nuper volebat eſſe Britanniæ terror, mox ſannis, ſuſurris, & cachinnis eius expoſitus fuit: *Notinghamius* enim mollem & eneruem claſſem ludificauit, ac proruit iniurioſo pede, & in puteum quem nobis parabat, præcipitem conturbauit; noſtráque littora naufragorum ſpolijs & cadaueribus referta, & populi præda & manubijs ſatiati fuerunt.

Hiſpanorũ claſſem 88. conturbauit

Hic altera vice victrici Anglorum claſſi, in Iberos turbinem, & turbas mo-

molienti, anno 1596. præpoſitus fuit, cum in Gades vela mouerent; quando gentem quæ nauticæ artis magiſtra & parens creditur, ſuis nauibus profligauit, & progeniem maris populum, quem horrent vndæ adeóque *Neptunus* ipſe, in ſuo elemento vicit. Nec 58. regias Hiſpanorum naues, & 19. triremes in ſui pelagi profundos gurgites, & feruida vada detruſit; aſt etiam vno, eodemq; die oppidum ipſum mœnibus cinctum, *Eſſexio* Comite concomitante, expugnauit. *Gades expugnauit.*

Hic multas legationes in tranſmarinis regionibus tanta cum laude obijt, tamque fœliciter renunciauit, vt poſteà in Patriam redux, rerum bene geſtarum omnium conſenſu mercedes acceperit: quarum ipſe rarum & memorabile documentum edidit, 1550. in legatione illa ad *Henricum* ſecundum, Gallorum Regem, *Mariam* Scotorum Reginam, & *Franciſcum Delphinum*, eius maritùm delata. Nec *Notinghamij legationes.* *Legatio in Galliam.*

Legatio in Germaniam inferiorem prima.

non in legatione illa ad inferioris Germaniæ Senatum, & Comitem *Mauritium*, 1585. pro ipsorum cum Comite Leiceſtriæ, Reginæ *Elizabethæ* apud ipsos locum-tenenti, reconciliatione; qua prosperè defunctus est. Eodemq; anno in eandem Germaniam relegatus, vt *Sleucem* obsidione eximeret; quæ biduo ante eius aduentum, honestas leges & fœdera consecuta est.

Secunda.

Tertia.

Hic cum Comite *Leiceſtriæ* & D. *Hunſdeneo* collegatus, missus est ad *Franciſcum* Andegauensem Ducem in inferiori Germania cõfirmandum: quo tempore, vt Thalassiarcham decebat, Ducem Regis Christianissimi fratrem in eadem cum ipso naui transportauit.

Imperatorem & eius filiam in Hiſpaniam deduxit.

Hic imperatoris filiam, *Philippi* 2. Hispaniarum Regis matrem, septemdecim Reginæ *Elizabethæ* nauibus concomitatus, in Hispaniam deduxit. Hic cum patre suo, Angliæ etiam Thalassiarcha, transmeauit, cum *Carolum*

lum imperatorem in Hiſpaniam ſoſpitem transferret. Tandem 1605. illi impoſitũ vt pacẽ inter *Iacobum* mag. Brit.&c.& *Philippum* 2.Hiſpaniæ &c. Reges concluderet,Heſperiæq; Regẽ ſacroſancto iuramento ad pacis munia deuinciret : quam ille legationem (quatuordecim nauibus *Coronã* vſq; & inde *Waliodeletum* regiam ſedem, glorioſa & frequenti ſeptingentorum amicorum caterua ſtipatus) obijt, vt cunctis fuerit admirationi; qua etiam quàm proſperè defunctus ſit, nunc exitus rerum, euentúſque declarat. *Legationes in Hiſpaniam.*

Hic quinque millibus equitum,ad Northumbriæ & Weſtmorlandiæ rebellionem & inſolentiam reprimendam,præfuit. *Northumbriam & weſtmorlandiam repreſſit.*

Hic tandem,vt ſe Scotici ſanguinis nunc, & olim amantiſſimum probaret, Hymenæo felici & neceſſitudine non pœnitenda, noſtris agglutinatus eſt; nobiliſſimi enim Comitis Moraui̯ę Scoti,ſororem *Margaretam*(Regii *Vxorem ducit nobiliſſimam.*

ſan-

ſanguinis ſurculum) vxorem duxit; quæ ſobolem peperit marito ſuo iucundiſſimam : filius enim tanquam diuini fauoris pignus, & teſſera, ipſis datus eſt; quibus vt ſobolem ſimilem adjiciat, & multiplicet, & datam conſeruet Deus, obnixè rogamus.

Ex prædictis omnibus hoc nactus eſt, vt *Caſtori* & *Polluci*, vt *Iaſoni* & *Argonautis*, qui aureum vellus ex Colchide rapuerunt, vt *Americo veſpuſio*, & *Columbo* Florentino, in vnum catalogum inſerendus ſit; & niſi exploſæ eſſent fabulæ, & exoluiſſent figmēta, ad polos tranſuehendus & adnumerandus ſtellis.

D. THOMAS HOVARTVS, SVFFOLCIÆ COMES.

Vccedit D. *Thomas Houartus*, Suffolciæ Comes, magnus Regis Camerarius, ingentis illius Norfolciæ ducis nepos, ex eodem Periscelidis collegio Miles.

Hunc excipit Suffolciensis heros, vir omnifaria mentis culturâ, temperantiâ, & inconcussa stabilitate; æquè ac generis claritate notus ac diuulgatus: cuius cor iam pridem a multis magnorum orbium reuolutionibus Regem nostrum Angliæ superbos falces capescentem videre gestiebat, eum popoſcit votis, anhelans; eum signabat oculis, in eum lumina defixit;

xit; eo nunc tandem potitus, tum se, tum Angliam (in qua vt speciosissimus Patricius fulget) optati compotem, & sub-cœlesti beatitudine donatam arbitratur. Quod nunc in actum prodijt, id multo antè futurum linceis radijs præsagiebat: ideo Solem orientem gnauiter adorabat, ita tamen, vt occidentē debita submissione & obsequentia prosequeretur. Regem venturum anxiè expectabat, vt scilicet suo, id est tempore à Deo præfixo, & præstituto adueniret: & in augustissimam Reginam tum temporis lora tenentem, dum aura vesceretur, prorsus inculpatè, & sine noxa aut præuaricatione se gessit; tum peractorum memoria tum præsentium officiorum solida & tenaci continuatione in summis delijs habendus, & vtroque respectu *Attilio Regulo*, *Popilio*, *Themistocli* & alijs eius generis componendus.

Et quanta eum *Cupido* incesserat vt

vt ſine ſignis, & ſine rauco buccinæ murmurantis clangore, Regem in ſua Palatia, ſuaſq; aureas & auratas cameras introductum videret; tanta eum nunc occupat, vt eum ab improborum machinationibus ſoſpitē ſciat: quàm attentè cauet, & proſpicit, ne regnorum euerſores, & flabelliones calamitatum, ei nocere poſſint? Regi quàm ſibi ardentiùs conſultum velit, vt illæſus permaneat. Tu O ætheris Rector, Arbiter mundi, faxis vt fiat. Nullas ſibi turbas conflari poſſe putat, ſi Regem extra diſcriminis aleam ſtare percipiat, quem magis aſſidua ſollicitudine concipit, quàm propriū cor. Neque ingrato Domino operam collocauit: namque Rex ipſe, Regum flos, ei non indigna virtutibus ſuis retulit, & impertitus eſt; vtpotè qui vt ad iuuandos reliquos mortales; ita ad ornandos inclytos viros natus eſt.

Idem laudatiſſimus Comes, Notinghamij collega & ſocius fuit, in gemino

mino illo nauali bello, contra Hiſpanos, quando Iberiæ decus occidit, & *Suffolcij* lacertis deiectum corruit: de quibus prælijs paulò infrà dicetur. Et hoc ſtratagemate eum priorem ſtatuo *Q. Luctatio Catulo* Romano, qui primo bello Punico, trecentis nauibus aduerſus Pœnos carbaſa mouit, ſexcentaſq; eorum naues apud Ægathes inſulas, inter Siciliam & Affricam depreſſit: ac pacem petentibus hac conditione annuit, vt Trinacria, Sardinia & cæteris inſulis inter Italiam Affricamq; decederẽt, Hiſpania citra Iberum fluuium abſtinerent: Taliter rem perfecit *Suffolcius* contra Hiſpanos.

Tecum (O Suffolci) *honor, & laudes, &*
Læto gloria vultu,
Et decus, & niueis victoria concolor alis
Tibi celſo ſtant colle penates:
Tibi virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus,
Nec ſumit aut ponit ſecures
Arbitrio

Arbitrio popularis aurę.

Tibi virtus, quæ

Diuitijs animosa suis, immotaq́; cunctis
Casibus,
Fortunæ secura nitet, nec fascibus vllis
Erigitur, plausuue petit clarescere vulgi.

Et talis est honoratissimus Comes *Suffolcius* pater, nec patri dissimilis filius natu maximus, opum virtutumq́; paternarum hæres, Dominus *Houardus*, Dominus *Waldurus*, cordatissimus & præstantissimus iuuenis, alius *Neoptolemus*, aut *Deiphobus*: de duius magnanimitate, agilitate & acumine, alijsque exterioris & interioris hominis ornamentis verba facerem, ni oportunitatis lociq́; huic libello destinati, spatia non transilienda prohiberent.

D. GVILIELMVS HERBERTVS, PENBROCHIÆ COMES.

SEd quo ego vos piaculo ſileam, Tergeminis honoribus cumulatos fratres? Angliæ patricios, & regni lumina, D. *Guilielmum Herbertum*, Penbrochium Comitem, ſplendidiſſimi ordinis Periſcelidis, ſiue Garterij Equitem, & Dominum *Philippum Herbertum*, Montis-gomerici Comitem, Periſcelidis etiam Equitem:

——Non ego vos meis Horat.
Chartis inornatos ſileri,
Totue bonos patiar nitores
Impunè, Clari, carpere liuidas
Obliuiones.

Quorum primogenitus ille *Penbro-*

cius, ſpectatiſſimus heros, fulgore ſortis plurimùm, at meritis multo altiùs attollitur: & vt annos virtutibus, ſic genus, & altos clariſſimi ſtemmatis titulos, morum nobilitate anteuenit, Maiorumque, & honoratiſſimæ familiæ laudes paribus ornamentis conſpicuus, adæquat. In quo ſpectabiles animi flores, cum corporis dotibus, vultuſq; venuſtate, & maieſtate decertant, mentiſq; ſingularis vigor, & maſcula vis, cum membrorum pulchritudine conſpirans, ipſum incredibili more commendant; vnde ambigua lis exoritur, vtrum Militiæ, an Togæ artibus plus valeat. Nec mirum ſi talis ipſe fiet, quippe qui ex tam inclyta, & valida ſtirpe procreatus ſit, ex qua degenerem fœtum produci, quis temerè putauerit? neque enim

Penbrochiæ Comitis virtutes in genere.

——*Imbellem feroces*
Progenerant Aquilæ Columbam.

Enimuerò, ipſius maiores (quibus blandus, & ſecundus rerum euentus ſemper

semper affulsit) non nisi per virtutis adita, ad fortunæ delubrum processerunt, (vt quondam factitabant Romani) ac per intermedios laborum & strenuè gestorum gradus, ad sublime dignitatis culmen conscenderunt.

Quare, cum illustrissimæ tribus caput sit, & lumen, & tantis prognatus auis, atauisque; eius prosapiam, & insignes a maioribus deriuatas prærogatiuas, primùm breuibus aperiemus, posteà ad ipsius ornamenta, & lucidos honores venturi. Cæterùm, profundam patrum suorum seriem à primordijs enarrare, tum arduum foret, tum prolixum, & præsentis operis instituto minimè consentaneum. Quippe, *Henricus* filius *Herberti*, cuius in hac Genealogia prima mentio occurrit, magnus *Henrici* primi, Angliæ Regis, Camerarius, & consultor inculpatus, multis annorum centurijs, & reuolutionibus, Domini *Guilielmi Herberti*, primi Penbrochiæ Comitis,

mitis, ætatem antegreſſus eſt: cui *Henrico*, præſtantes heroes decem, Barones, & Equites præclari, ordine ſucceſſerunt, vſq; ad prædictum Dominum *Guilielmum*, primum ex iſta ſtirpe Comitem creatum; itaque eorum nec obſcura, nec reticenda nomina, quanquam luce cum primis, digna, compendioſæ tamen tractationis ſtudio, omittemus, ad Comitatus initia tranſitionem facturi.

Comitis Penbrochij proſapia.

Ergo celeberrimus ille Dominus *Guilielmus*, Penbrochiæ primus ob egregia facinora, conſtitutus Comes, Cheſtouæq; & Goueræ Dominus, ex ordine Periſcelidis Miles, vnà cum D. *Richardo* fratre, equite aurato, Bambariæ fortiter dimicans, occubuit, *Eduardi* quarti, Angliæ Regis, anno decimo. Hunc ſequutus eſt Dominus *Guilielmus Herbertus*, ſuperioris cognominis, Huntingtoniæ inſignitus Comes, eiuſdem *Eduardi* quarti anno decimoſeptimo: cuius vnica filia, &

& hæres *Elizabetha*, *Carolo* Vorcesterio, Somersetiæ Comiti nupsit.

His iterum succeſſit alius Dominus, *Guilielmus Herbertus*, Pẽbrochiæ Comes, & Cardiffiæ Dominus designatus, anno 5. *Eduardi* Sexti: eratque ordinis Garteriorum Eques, & familiæ Regis dispensator, procurator eximius: & vxorem duxit *Annam* sororem, & hæredem *Guilielmi Parrij*, Northamptoniæ Marchionis, Parriæ, Rossiæ, & Marinionis &c. Domini; Obijtq; anno salutis per DEI FILIVM acquisitæ, 1570. & *Elizabethæ* Reginæ anno 12.

Hunc excepit Dominus *Henricus Herbertus*, Penbrochiæ Comes, Cardiffiæ, Parriæ, Rossiæ, Marinionisq; Dominus, Wallij Senatus Præses, & ex classe Perisscelidis Eques: qui coniugio sibi sociauit *Mariam* filiam D. *Henrici Sidneij*, ex eodem famosissimo ordine, Militis, qui & Walliæ Præses fuit, accepto illius muneris titulo,

tulo, per coniugem ſuam *Mariam*, Northũberlandiæ Ducis filiam: & is debitum naturæ vectigal exoluit, anno Æræ Chriſtianæ 1599. *Elizabethæ* verò Reginæ 42.

Huic nouiſſimè ſubſtitutus eſt, de quo nunc verba facimus, Dominus *Guilielmus* præſens Penbrochiæ Comes, &c. florentiſſimus purpuratus; cui connubio iungitur *Maria* primogenita filia *Gilberti*, Salopiæ Comitis, Talbotiæ Domini, & Garterij Equitis: cui frater eſt cõmemoratus Dominus *Philippus*, Montis-gomerici Comes, & Shurlãdiæ Dominus, anno 3. *Iacobi* Britanniæ maioris, Regis, in eo fulgido loco collocatus: qui thori ſociam ſibi aſſumpſit *Suſannam*, *Eduardi* Oxoniæ Comitis, Bulbotiæq; Vicecomitis prolem. Et hactenus ad præſtantiſſimæ familiæ originem, progreſſus, & incrementa, eorumque frontes digitos intendimus; reliqua Annalium, plenæq; hiſtoriæ ſcriptoribus,

ribus relinquentes.

Ergo Comitis huius maiores omnes, à remotissima memoria, magno nitore, & authoritate, tum in bello, & armis, tum in Senatu, & Republica per vniuersam Angliæ ditionem, claruerunt, quibus & ipse simillima soboles, tali luce fruitur, & æquali decoratus lumine renidet.

Enimuerò, nobilissimi huius viri amantissimus Rex, ipsum summo amore, ob generosæ indolis, quæ in eo obseruat, documenta, prosequitur, atque erga eum ita affectus est, vt erga *Ephæstionem* suum, ex socijs suis primarium, *Alexander*: qui cum vxorem *Darÿj*, in custodia detentam, salutatum iret, præibant eum vt moris est, nonnulli ex familiaribus, inter quos erat *Ephæstion*, incessu graui, & Sidonio murice rutilans: illa putans *Ephæstionem* Regem esse, ei ad pedes procubuit, postea certior facta, eum non fuisse Regem, erubuit, & veniam

Penbrocius Ephæstioni comparatur

ſuppliciter orabat: tum leniter ſubridens *Alexander*, *Parce* (inquit) *metu ô Regina: mihi gratiſsimum eſt, vt amici mei pro regibus agnoſcantur.*

Ergo talis eſt Penbrochiæ Comes, apud *Alexandrum* noſtrum, qualis erat *Ephæſtion* apud Macedonē illum, talis item qualis *Artabanus* apud *Xerxem*, (ſimilis Dynaſta, aſt apud diſparem Regem,) taliſque, qualis *Belliſarius* apud *Juſtinianum*, *Afraniuſque*, & *Petreius* apud *Pompeium*, *Ventidius* apud *Antonium*, *Datames* apud *Artaxerxem*; qualiter memoratiſſimi optimates, & copiarum præfecti, apud potentiſſimos Reges collocati fuere.

Et Artabano, & alijs.

Aſt quî fit vt eum, eiuſq; fratrem, Montis-gomerici Comitem, præ alijs, tam impenſè Rex diligat? Quia ita ſe Rex habet ad obnoxios ſuos, vt Sol ad ſubiecta ædificia, quæ quidem eodem lumine pari illuſtrat; ſed ea illuſtriora videntur, quę plures, & patentiores feneſtras habent: Sic Rex

Similitudo

Rex ſubditos omneis pari ſtudio complectitur, illi autem clariores euadunt, quorum ingenia per virtutem, ad res gerendas, magis comparata eſſe comperiuntur.

Quale huic ſpectatiſſimo heroi ingenium diuinitùs conceſſum eſt! quales à Deo optimo maximo, bonorum fonte vberrimo, virtutes infuſæ! ex quarum choris, modeſtiam tanti Comitis primùm eloquor, animiq; moderationem, multarum virtutum condimentum: qua tali iure commẽdatur, vt moribus tanto ſe ſubmiſſiorem, ac moderatiorem præbeat, quãto opibus, fortunis ac dignitate, maior, ampliorq; conſpicitur. O amabilem virum! Tantam proſperitatem, cum tanta mentis ſobrietate, & mediocritate conſociari!

Animi moderatio in Penbrochio

Idem tanta fidelitate erga Dominum ſuum Regem, laudatur, vt in nulla vnquam fluctuantium rerum procella, ad partes Regi oppoſitas, vel

Fides eius erga Regem

vel vnicum pilum inclinauerit. Tali item ſedulitate notatur, vt Regem mane, & veſpere, & omnibus commodis momentis ſequatur, eumq; ſine laſſitudine, ſine nauſea & faſtidio, impiger præſtoletur; tam volens animi integritate, quàm diligentiâ, cunctis innoteſcere, omniſq; ſceleris, ac perfidiæ fomitem reſpuere.

Sinceritas in religione

Hic aduerſi, & peruerſi dogmatis in fide, nulla vnquam ſuſpicione inquinatus fuit.

Aliæ virtutes.

His adjiciuntur ſcientia rerum multiplex, eruditio ſingularis, & admirabilis prudentia, item corporis agilitas magna, & in perdomandis equis dexteritas rara: quæ omnia pulcherrima corporis συμμετρία, & proportione, multum cohoneſtantur, & vultu obſeruantiæ, reuerentiæq; pleno.

Fortitudo Penbrochij

Poſtremò, fortitudinem & magnanimitatem refero, membrorúmque robur, quibus expoſitis, aliò pergam. Robore, Comes ille tanto præditus eſt,

eſt, vt equeſtri, pedeſtriue certamine, Olympionicos ipſos facilè vel ſterneret, vel ſuſtineret: & *Leonidæ Cleomenis* fratri cõparandus, ad quem cũ *Xerxes* ſcripſiſſet, *Mitte arma*: reſcripſit, *Veni, & cape*. Et *M. Catoni, Catonis* ſuperioris filio, qui in prælio contra *Perſeum*, equo delapſus, ab hoſtium manipulis circumuentus, cum quendam procerum impeteret, gladius è manu elapſus, in mediam hoſtium cohortẽ incidit: ad quem recuperandum, inter hoſtium mucrones ſe immerſit, collectoq; gladio, multis acceptis vulneribus, ad ſuos reuerſus eſt. Et *Põponio* Romano, qui à *Mithridate* Ponti Rege, ſub *Lucullo* imperatore captus, multiſq; ſaucius vulneribus, à *Mithridate* rogatus eſt, ſi curatus, ei foret amicus; Ero, inquit *Põponius*, ſi tũ Romanis amicus fueris: ſin autem inimicus, me quoque inimicum habebis.

Leonidas.

M. Cato.

Pomponius Romanus.

His inquam aliiſq; ſimilibus, quorum incomparabilis fortitudo, tam e-

rat

rat patri&, ſibiq; ſalutaris, & glorioſa, conferendus eſt Penbrochiæ Comes, pariq́ue imperterritæ mentis conſtantiâ æquiparandus.

Atque hîc tuarum laudum, laudatiſſime & honoratiſſime Comes, clauſulam pono.

D.

D. PHILIPPVS HERBERTVS, MONTIS-GOMERICI COMES.

PEnbrochio Dominum *Philippum Herbertum*, Shurlādię Dominum, Montis-gomerici Comitem, Periſcelidis Equitem ſubſtituo, à Regis conclaui Satrapam, fratrem fratri, *Hectori Troilum*, *Achilli Aiacem*; quem *Montgomerium*, incorruptus morum candor, prudentia, animiq́; rara magnitudo, ac virtutum quibus imbuitur ac nitet, omnifariæ cohortes, ſicco pede præterlabi, nefarium eſſe conclamant: *Dignum laude virũ Muſa vetat mori, Cælo Muſa beat!* Quem auis, atauiſq́; maximis editũ, egregia

Tituli.

Horatius.

egregia indoles, & solertissimæ mentis viua acies, maioribus,& fratri similem reddidere. Cum enim Rex sagacissimus ingeniorum explorator, & fautor ingens, excelsæ mentis atque acuminis, in eo apertissima indicia perspexisset,ad aulam ipsum,nondum adhuc assumptâ virili prætextâ, acciri curauit, vt cordatissimi adolescentis mens fœliciſſimè nata, tanti Regis præceptis,consuetudine, & sermonibus edocta,excultior,omnicq; facultate auctior euaderet. Quare nũc ex ipsius pectore tum naturâ, tum educatione, tam probè expolito, tanquam ex irriguo vireto, vberrima laudabiliũ actionũ messis, & amœnissimi flores, indies promanant,quibus & ipse Rex valde delectatur, vt pictorem luculentæ tabulæ,sui pollicis ictu efformatæ,contemplatio iuuat: Ast cum verna seges sapientiæ, annis primoribus in tantum luxuriet, quantam de se spem concitat,quantusq; futurus credetur,

detur, vbi ſeuera exacti iudicij lima, in ſenectute, prouectâq; ætate ſuperuenerit.

Ergo in Montis-gomerici Comitem talis eſt voluntas Regis, qualis olim fuit *Auguſti* erga *Claudium*, *Druſumq; Nerones*, priuignos ſuos, quos ab ortu mirum in modum ingenioſos ſuo exemplo, & monitis ita effinxit & ornauit, vt in Senatu, iuxta ac Caſtris, tum conſilio, tum fortitudine, æqualibus omnibus facilè palmam præriperent; & quod de ijs cecinit *Flaccus* lyricus, id de Montgomerio, eodem nomine promulgatur: nam Angli percipiunt indies, & iampridem *Claudium, & Druſum Nerones.*

Senſere, quid mens læta, quid indoles,
Nutrita fauſtis ſub penetralibus
Poſſit, quid Auguſti Iacobi paternus
In iuuenes animus Herbertos.

Nam tam blando & procliui amore ipſum amplectitur Rex, quanto idem Imperator Octauianus ſororis ſuæ filium

Marcellus Augusti.

lium *Marcellum*, cui præmaturâ morte extincto, ciues multis lachrymis parentarunt; sic huic superstiti omnes gratulantur.

Et vt Rex se patrem veluti, Montgomerio, sic ille Regi sese obseruantissimum filium præbuit, obsequijq; & amoris illustre documentum exhibuit, quo die de Rege trucidato, clamor exortus est, & passim propagatus: quo funesto rumore adeo attonitus, & perculsus fuit, vt quasi semianimis, aut fulmine tactus, statim corruerit: quippe sinceri cordis flamma, in eo tantopere flagrabat, vt tum Rege, tum parente, se simul orbatum, patriamq; suam, horrenda clade, in ruinam & internecionem redactam, crediderit. Ast Regem sospitem cum accepisset, reuiuixit ipse, & qui mœrore exaruerant, placidæ frontis honores, in suum pristinum florem, & decus rediere: qui priùs plãctu pectus trepidũ tundebat, audita Regis salute, mox plausu,

plausu, & liquidâ voce hilaris gestiebat. Quare erga eum ita affectus est Rex, vt erga *Serapionem* suum *Æmathius* Monarcha, quem animi dexteritas, & promptitudo, vinculis Adamantinis pertraxerunt, vt ipsi impensè faueret: in hoc vno discrimen est, quòd *Alexander Serapionem* largitionibus recreare oblitus est, quia *Serapioni* non succurrit poscere: quare bile percitus *Serapion*, cum *Alexandro* & alijs, pilâ ludens, *Alexandro* neglecto, alijs pilam proiecit: tum *Alexander*, mihi non porrigis pilam vt alijs? tum ille, quia non petis: qua festiuitate gauisus *Alexander*, plurima impertitus est. At noster *Alexander*, suo *Montgomerio*, etiam non postulanti, permulta tradit honoraria, eumque natalibus spectatissimum, donarijs suis multo conspectiorem, locupletioremq; effecit. Accedunt amoris irritamenta & stimuli inculpata fides, atque irreprehensibilis constantia erga Domi- *Serapion Alexandri.*

num ſuum Regem; & his aſſociatur magnanimitas, & imperterriti pectoris audacia: qui enim paternum ab *Hercule* genus, maternum verò ab *Achille* ducit, *Pyrrhum* impauidi pectoris robore, imitetur neceſſe eſt.

Nec qua pollet, equitandi ſingularem peritiam, meminiſſe alienum eſt, (quod de Comite Penbrochię, fratre, & heroe laudatiſſimo, ſupra quoque retulimus:) quippe, cataphractis equis Perſarum more inſidens, & loricâ, laminiſq; ferreis indutus, ipſos animoſos tanto ſubigit animo, & in gyrum circumducit, vt occurſantium viſus perſtringatur, vt ſi vel *Bellerophon*, vel *Lapithæ* ipſum Alipede vectum cernerent, obſtupeſcerent protinus, putarentq; artem equorum domitricem, è Theſſaliâ in Britanniam deriuatam eſſe, & à Græcis ad inſulares manaſſe: Sonipedes enim feroces tam alacriter, nunc in orbem & circulũ conuertit, nunc frænis in ſaltum erigit, nunc cal-

calcaribus in cursum propellit, vt non loris aut retinaculis, sed turbine ferri, & circumferri videantur. Qua agilitate, sicut & heroicæ mentis constantia, prudentiâque, & humanitate, *Scipioni Africano* maiori, circa vigesimum quartum æui annum constituto, conferendus est; cui ob præstantia generosæ indolis specimina, populares adhuc impuberi, secundi belli Punici exitum demãdarunt, prostrato iam & penitus deplorato Romanæ Ciuitatis statu; quam ille expeditionem periculosæ plenam aleæ, vt intrepidè suscepit, sic strenuè & magnificè, in Lybiam profectus, conatus perfecit: cui vt iuueni, nunc similis est *Montgomerius* iuuenis, ita adulto adultum persimilem futurum, & ipse persuasum habeo, & omnes regni ordines, certis freti rationibus augurantur; vt quam ille Ausoniæ perituræ, & mœstis Patribus vtilem operam nauauit, talem ille Regi tranquillo, & triumphanti, Anglicæ-

Africanus maior adolescens.

gliæque florenti exhibiturus sit, si res efflagitet.

Papyrius prætextatus

Nouissimè, *Papyrio* prætextato celeberrimo Romano, in limine virentis æui posito, ipsum compono: quem *Papyrium* admirabile mentis acumen, ita decorauit, vt Senatus vnanimi calculo & suffragijs, nouus & honoratissimus amictus, noua species indumẽti, ipsi, & suę excellentis culturę æmulis, decerneretur. Tandem vale *Montgomeri*, modicis membranis aptate, quem vniuersa mea supellex libraria, totum neque capit, neque exprimit.

GVILIELMVS PARKERVS, MONTIS-AQVILARVM DOMINVS

SEd quo te taceam crimine, D. *Guilielme Parkere*, Montis-Aquilarum Dominũ, magni Baronatus Morlyæ, & Ryæ hæredem legitimum, Equitem auratum, Regij Spiritus custodem, & excubitorem alterum, Heroem generis & familiæ antiquitate, virtutumq; omnifario splendore, & meritis erga Regem, patriamq; longè ornatissimum! Qui cum illustrissimæ tribus Caput sit & lumen, eius prosapiam, & insignes à maioribus deriuatas prærogatiuas, iã inde à familiæ primordijs & origine, paucis delibasse, *Titulus.*

operæpretium ducimus, postea ad ipsius gesta, edita facinora, & inclytos honores venturi.

Morliæ Baronia ad Parkeros delata.

Ergo præclara Morliæ Baronia ad *Parkeriam* domum hac ratione translata est; quippe per cõiugium *D. Guilielmi Parkeri*, aui prædicti huius herois, ataui, & *Alizæ* sororis vnicæ, & hæredis *Henrici Louelli*, Morliæ Domini. Qui quidem *D. Guilielmus Parkerus, Richardo* tertio, Angliæ Regi, familiæ Quæstor fuit, & ab arcano Cõsilio Dominus: cui etiam vexilliferi operam præstitit in memorabili illo Campo Bosworthensi, vbi & Rex ipse *Richardus* occidit. Ast præfatus ille *Henricus Louellus*, Morliæ Dominus, præfatæ *Alizæ* frater, miles erat dextra & magnanimitate celeberrimus, & *Henrici* septimi, Angliæ Regis, anno quarto, sub Domini Aubanæi signis Dixmeræ occubuit.

Portò nunc viuentis *D. Guilielmi* auus, nomine *Henricus Parkerus*, Morliæ

liæ Dominus, *Elizabetha* regni habenas tenente, patriam deserere coactus est, & Lutetiæ Parisiorum profugus & exul, diem obijt: verùm in exilium relegatus fuit, ob *Mariæ* sereniſſimæ Scotorum Reginæ, Regis noſtri matris, cauſam; qua tempeſtate & Dux Northfolcenſis ob eandem rationem capite multatus eſt.

Vt autem hæc Baronia ad *Louellos* peruenerit, nunc explicabimus: quippe per nuptias *Alizæ* natæ vnicæ, & ſororis *Roberti* Morliæ Domini, cum *Guilielmo Louello*, prædicti *Henrici Louelli* genitore.

Verùm *Louelli*, gens olim vetuſtiſſima, & honoribus cumulata, fuere, & diu Barones perſtiterũt, poſtea Vicecometes creati; pacis armorumq́; artibus & laude præſtantiſſimi: quibus Regum ſubditorumq́; conſentientibus ſuffragijs, vtriuſq́; generis negotia, & onera demandata ſunt, vt Togæ iuxtà ac militiæ aptis.

At Morliæ domus Baroniam ab initio accepit ab *Eduardo* tertio, vsque ad *Roberti* nouissimi Baronis interitum, qui *Henrici* sexti anno vigesimo primo è viuis excessit, & post ipsius funera ad *Louellos*, à *Louellis* ad *Parkeros* Baronia delata est.

Ryæ Baronia ad Parkeros delata

De Ryæ nobili Baronia, ita se res habet; ea ad Morliæ familiam in *Eduardi* tertij principijs traducta fuit, cum *Agneta Ioannis Marshalli* soror, & hæres, *Roberto Morlio* matrimonio coniuncta esset. Qui *Ioannes Marshallus* ab altero *Ioanne Marshallo*, *Guilielmi* Penbrochię Comitis fratre germano, recta serie ortum traxit; & Ryæ Baroniam adsequutus est, cum *Huberti* Baronis Ryæ filiam vnicam vxorem duceret: cuius connubij suasor & procurator fuit *Ioannes* Angliæ Rex, *Ioannis* illius *Marshalli* impensè studiosus: cui etiam Rex ille ob res strenuè in Hybernia perpetratas, illius nationis Marascallatũ hæreditariò concessit

ceſſit ; quod munus ad *Eduardum* Morliæ Dominum, huius Montaigliæ Domini parentem, ab iſto *Ioanne Marſhallo*, perpetua, & inconuulſa ſucceſſione manauit.

At hîc tenere conuenit, multas ex potiſſimis Anglici regni familiis à *Guilielmi* illius *Ioannis Marſhalli* fratris ſtirpe, oriundas eſſe: vtpote *Montchaniæ*, *Bigotti*, *Ferrariæ*, *Clari*, *Bruſi*, *Mortimeri*, *Cantelupi*, *Bohumi*, *Houardorum*, & complures alias.

Montis-Aquilarum dominatus ad Parkeros defertur.

Dixi quo pacto inſignes Baroniæ Morliæ & Ryæ in illuſtriſſimam hanc gentem coaluerint, vt Montis-Aquilarum dominatus ad eandem defluxerit, paucis aperio. Hic qui nunc viuit, & viget eximius heros, Baronatum illum adeptus eſt, vt laudatiſſimę genetricis ſucceſſor, quæ *Guilielmi Stanlij*, Mont-Aigliæ Domini, hæres fuit, & vnica nata. Cuius herois abauus *Thomas* vxorem aſſumpſit, filiam natu maximam *Caroli Brandoni*, Suffolciæ

Ducis

Ducis, qui & postea *Henrici* octaui sororẽ thoro coniugali sibi iunxit; vnde euenit vt prænominatus Dominus ex splendidi illius Ducis hæredibus vnus sit.

Denique *Eduardus*, huius Domini atauus, filius erat Secundo-genitus *Thomæ Stanlij* Derbiæ Comitis, qui Heroinam *Margaretam* sibi connubio sociauit, *Henrici* septimi, Angliæ Regis, matrem, ex qua nunc florens Derbiæ Comes procreatus est: qui *Eduardus* Mont-Aiglię Dominus cõstitutus fuit, ob rem fortiter gestam ad Fluidonem amnem, quo prælio *Iacobus* quartus, Scotiæ Rex postratus fuit. At Stanliæ domus Baroniam diu tenuit ante Derbię Comitatus fundamenta, cuius primus possessor ex antiquissimi Equitis radice productus, Hyberniæ prorex, siue proconsul fuit.

Ergo Domini huius maiores omnes, iam inde à remotissimâ memoriâ, magno fulgore, & authoritate, tum in bello

bello & armis, tum in Republica & ſenatu per omnes Angliæ fines, claruerunt: quibus & ipſe digniſſima proles, perſimili luce fruitur, & paribus titulis conſpicuus, renidet.

Enimuero, Regij Capitis, ſub Deo, alter protector, & liberator fuit: quippe, quem *Hadintonius* (cuius ſuprà meminimus) ab hoſtilibus telis, enſe eripuit & manu, eundem heros *Montis-Aquilinus*, in Anglia periclitantem, ab hoſtilibus flammis, & tædæ iaculis, conſilio & fide exſtraxit. Vtriſq; gemina pro vexillo eſt Aquila, nam Mauortia Heroum corda, Romanæ ciuitatis, gentium domitricis, ſigna ambiebant; quia vt Romani ad populos & vrbes, ita hi ad flagitioſos & improbos debellandos nati fuerunt. *Regij protector.*

Quare vtrique horum Rex quotannis, ſolenni ritu cyathum, ſtatuto die propinat; *Montis-Aquilino*, quarto die Nouembris, *Hadintonio* verò quinto die Auguſti: quòd vtriuſque

candor

candor erga Regem, illorum Menſium quinto die innotuit; & vterq; non menſis modò, ſed & hebdomadis eodem die, eiuſdem generis memorabile facinus eidem Regi præſtitit. Mirum eſt tam ſimiles & vniformes fortunas, cum tam paribus conſilijs, & actionibus concinentes, & iunctis manibus conſpirantes, cernere.

Vt Caput acris equi in terræ viſceribus inuentum, dum Carthaginis mœnia fundarentur, vrbem armis potentem fore portendebat; ſic nomen huius Domini Baroniæ inditum, virum magnum & intrepidum, atque Aquilinæ fortitudinis æmulum denunciat. Idcirco credibile eſt Aquilas in eo tractu nidificaſſe; vnde euenit vt Britanniæ Regis ſaluti tam obnixè proſpexerit, vtpote Leonis: nam volucrum princeps Aquila, mortalium, quadrupedumq; Dominum *Iacobum*, Leonem fulgidum, lædi nolebat. Quare laudatiſſimo huic heroi cognomen-

nomentum est *Parcer*: quia cœlesti instinctu actus fuit, vt Regi, lethi laqueis iamiam absorbendo, parceret, atque *Parcas* Regij halitus stamina intersecare minantes, à proposito reuocauerit, vitamq; Regis ad altiora destinatam, prorogauerit. Ergo cum Aquilæ feritas, in tantum cicurata, & mansuefacta fuerit, vt Leoni non modò se submiserit, sed etiam ipsius vitæ protelandæ tam impensè studuerit: procliuis coniectura est, fore, vt qui in Angliam suam, omnium votis & clamoribus pertractus est Leo, idem etiam Romani imperij ditionem, Aquilina effigie decoratam, aliquando peruadat rogatus, Bestiamq; Romanam suâ Româ vi pellat, & orbe procul arceat, simul ac vrbe.

Quid autẽ in gratiã Ecclesię, Regis, Regni, Patriæ, Patrũq; præstiterit Heros *Mõtis Aquilinus*, sic paucis accipe.

Cum infandi sceleris ministri, Sathanæ organa, dira *Erynnis*, immanissima

Historia de Pyrij pulueris coniuratione.

sima proditione, Regem eiúsque stirpem totam, & vniuersos regni Proceres, vnico Pyrij pulueris flatu, radicitus euellere tentassent, ac furialibus ausis domum Comitialem, cum omnibus regni Anglici Ordinibus, eo tempore conuocatis, per subterraneos cuniculos euertere conarentur, igneisq; globis in sublime ferre; huic Domino tradita fuit Epistola, qua prohibebatur Comitijs interesse, si sibi, suisq; consultum vellet, quo etiam Epistolio, periculi imminentis, sed per Ænigma graue, atque obscurum, admonitus fuit: Ille literas, nefariæ coniurationis indices, mox Regi patefacit; qui mira sagacitate occultam fraudem protinus detexit, vbi Senatores quanuis oculatissimi, in eâ indaganda, irrito conatu diu laborassent.

Quare DEO optimo maximo gratia habenda, quòd ex clementia sua *Montis-Aquilinum* suscitauerit, qui tam multos & lepidos orbis flores, in

An-

Angliæ viridario naſcentes, cum ipſo Rege, ſpecioſo illo ſydere, vno momẽto morituros, ſoſpites conſeruaret.

Eum pio, & nobili Iudæo *Mordecaio*, patriæ libertatis aſſertori, & reſtauratori, primùm confero, qui inſidias *Artaxerxi* Perſidis Rege ſtructas, prouidus euoluit; qui idcirco regio indutus paludamento, aureumq; torquem geſtans, equo pulcherrimo per compita circumuectus eſt; & *Haman* Iudaicæ gentis aſſiduus & capitalis hoſtis cruci affixus. *Mordecaius.*

Idem *Camillo* celebri Romano Duci, ſecundâ vice comparandus eſt: qui cum Phalerios obſideret, Græcus ludimagiſter, liberos Phaleriorum paulatim ad illius caſtra adduxit, vt illis captis, vrbe facilè potiretur: ſed neque proditio, neq; proditor infracto Duci placuit, quin iuſſit hominem amictu exui, & manibus poſt terga vinctis, pueros Græcum ad vrbem vſq; virgis cædere. *Camillus.*

Et

Manlius. Et *Manlio* Romano, Tarpeiæ arcis custodi, assimilandus est, qui ciuibus sopitis author fuit, vt Gallos irruentes ejicerent, qui alioqui ipsos incautos adorti fuissent. Et *Nicostrato* Argiuo, qui cum ab *Archidamo* multis præmijs & pollicitationibus ad proditionem sollicitaretur, respondit: *Archidame*, te ab *Hercule* genus ducere non apparet: *Hercules* enim circumiens, malos pœna affecit, *Archidamus* verò probos malis affligit.

Rex quanto omnibus præditis præstet.

HOrum verò circumfusis phalangibus obsessus, & circundatus Rex, quanto regni prærogatiuis, tanto morum & corporis elegantiâ, ac rutilanti fronte, omnes adhærentes à tergo relinquit: atque inter eos talis incedit,

Qualis vbi hybernam Lyciam, Xanthiq; fluenta,
Deserit, & Delum maternam inuisit Apollo:

Ex-

Exercet Diana choros, quã mille ſequutæ
Hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetam
Fert humero, gradienſq; Deas ſupereminet omnes;
Latonæ tacitũ pertentant gaudia pectus.

Ergo tali Rege, talibus florentibus Regijs adminiſtris, exclamare libet: *ô fortunat.as gentes! ô bonâ aui natos populos, quibus tales præſident*; quippe virtus nunc rerum potiatur, fas regnet oportet, & *Aſtræa* veteri ſuo gradu, poſtliminiò reponatur. Nam cum principes & aulæ lampades virtutem conſectentur, minores eundem callem ſua ſponte vrgebunt; nam ad exempla Regis regna exiguntur. Lapilli pluris væniunt, qui à diuitibus quàm qui à tenuioribus ſunt. Ductorum fauor etiam paruis & minutis in rebus populi ſtudia accerſit. *Nero Poppeâ* virgine ad amentiam vſque exarſit, eiuſque capillos laudari cupiens, verſibuſque ad cytharam ſcitè cantabat, quòd

Britannia beatitudo tali Rege & talibus Regis adminiſtris

succini coloris essent: hac quidem opinione ductę puellæ omnes Romanæ, ac totius Italiæ, succinum colorem vehementer affectabant, non modò in comâ & capillis, sed in reticulis, annulis, fimbrijs & omni vestitu: quâ ex re *Similitudo.* Succina gemma quæ exiguo antè æstimabatur, magno deinde liceri, ex vniuersâ terrâ habitabili cœpit, quando maximo omnium Principi arridebat; sic nunc demum pietatis & virtutis meditatio iucunda esse, & in omnium mentes irrepere incipiet, tantos fautores & cultores nacta; qui clauum regunt modestiæ exempla sunt, qui Reipublicæ choreas ducunt, ijdem ad omnem honestatem, vt Prodromi & Antesignani aditum recludūt, à quorum probatis vestigijs, quàm nefarium? quàm turpe erit reliquis declinare? Certè optanda politiæ facies, qualem vel ipse *Plato* percuperet, nec in eâ renueret *Solon* rerum habenas & fræna circumflectere: non diceret hîc

Di-

Diogenes Cratero, Salem Athenis lingere malo, quã tecum in aulâ opiparis epulis vesci. Atque hæc sunt prudentiæ in nostro Rege, gratitudinis & liberalitatis condimento tinctę, indicia, quæ ex multis pauca delibauimus. Et hactenus de prudentia.

Prudentiæ fidelitas, amor suorum & vigilantia pariter adhærent, quibus pro populi sui emolumento & vtilitate procurandâ, nullos labores diffugit, nihil non molitur, nihil intentatum omittit, de ijs diurnis & nocturnis horis anxius cogitat, & alijs sopitis ipse de suorum prosperitate tacitè secum vigil, & sollicitè multa reuoluit, & desidem ac indecoram segnitiem fugiens, pro ijs excubat, ratus inertiæ esse, & *Philanthropia Regia.*

Turpe duci totã somno consumere noctẽ

Et sine socordiâ iuxtà ac curiositate,

Ἣν ἔλαχε Σπάρτην ταύτην κοσμεῖ·

Quam accepit Spartam eam ornat. Idcirco quo communi nomine gau-

debant Reges Pelisthęorum, אביסלך, id est, pater meus Rex, eodem ipse nuncupandus sit: & in hoc ad *Mosis*, *Dauidis*, *Aristidis*, *Leonidæ*, *Valerij Publicolæ*, *Cymonis*, *Reguli*, *Pauli Æmilij*, *Curij*, *Fabricij*, *Codri* postremi Athenienſiũ Regis, *Bruti* Senioris, & *Epaminondæ* Thebani, omni memoriâ & sempiternâ recordatione digniſſimâ exempla proximè appropinquat. Talis etiam fuit humanitas *Tiberij*, cui cum sui persuadere vellent, vt prouincias tributis oneraret, respondit: *Boni pastoris esse tondere pecus, & non deglubere.*

De Timone omnium maximè inhumano, lepida narratio.

At omnis inhumanitatis princeps, & specimen, erat *Timon* prædiues Athenienſis, μισανθρωπος, cuius tragicam aſt lepidiſſimam hiſtoriam ideo tango, quia nemo ſine irâ ſimul ac largo risu, & cahinnis, & admiratione, ipſam leget; nam viuens neque veſci neque verſari voluit cum hominibus. Et aliquando cum procera quædam arbuſta, prædio ſuo ruſtico adnaſcentia, de-

descindere intendissent, quibus nonnulli furijs acti, sese laqueo solebant, & fune, è viuis, desperatâ morte tollere; priusquàm eis securim admoueret, ciues conuocatos de publico loco sic compellauit: *ô ciues, quando necessitas vrget, vt arbores illas prosternã, quibus plerique ex fratribus vestris ad sese strangulandos vsi sunt, nolui vobis in hac officij mei parte deesse: quare vos propositi mei admonitos velim, vt si quis vestrûm sese suffocare cogitat, ad opus festinet, quia arbores illas intra triduum demoliri cogar.* Idem moriturus noluit cum hominibus humo condi, ast in arenâ maris, & hoc inscribi iussit Epitaphium sepulchro:

Postquam dura graues fudissent pensa sorores
Occulit hîc vitrei marmoris vnda caput:
Desine, quisquis eris, perquirere nomina lector,
Te Deus horrendo, quo tonat igne, petat.

Hoc certè monstrum asperæ cautes genuerunt, ei Tigres Hircanæ admouerunt vbera infantulo.

Liberalitas Regis.

Et liberalitate incomparabili vtitur Noſter, quâ omnes de vitâ, gloriâ, famâ & Regno ſuo bene meritos, abundè, & largiſſimè recreat & refocillat; quam tamen ita moderatur, vt in vituperandam profuſionem nequaquam degeneret. Neque canum inexplebilem libidinem, & cupiditatem, quæ habendi ardore continuo torretur & excruciatur, ſatiari vult, nec effrænatam hirudinum, & Gurgulionum famem largitionibus explendam ducit, ſed tum alioruu quorundam, tum ſuorum *Achatum*, & fidorum Satraparum, qui nunquam ei à dextrâ in aduerſis defuerunt, ſtudia, & delata obſequia remuneratur; nec præterquàm quod in pietatis, Eccleſiæq; eleemoſynæ, & patriæ communes vſus erogat, priuatis quicquam elargitur; niſi quibus animorum propenſione, & affectu, aut officiorum fidelitate, aut laborum, ſudorumq; moleſtijs, & generoſis effectis, ſeſe deuinctum, ex gratiâ

tiâ ſuâ arbitratur: ſine quibus, vt nefas eſt ab eo quicquam impetrare, ſic quenquam ex ijs qui tam egregiam operam nauauerit, negligere, & præterire, à nobiliſſimâ & auguſtiſſimâ ſua altitudine, & magnificentia alienum putat. De quali munificienta ita cecinit Martialis:

Extra fortunam eſt quicquid largitur amicis
Quas dederis ſolas ſemper habebis opes.

Sed modus ponendus eſt, ne adulterino liberalitatis nomine, vt chlamyde aut ſtragulo tecta largitio, in aduerſum flagitium & crimen procedat, quem & ipſe ſummâ perſonarum & circumſtantiarum diſcretione adhibitâ, in dandis beneficijs ſtatuit. Huius virtutis praxi *Schelomonem*, *Catonem* Cenſorium, ſiue Maiorem, *Mithridatem*, *C. Cæſarem*, & *Alexandrum*, *Niciam*, & *Themiſtoclem* (qui filiam nuptum daturus dicebat, ego malo virum qui pecuniâ, quàm pecuniam quæ viro egeret,) *Publicolam*, & *L.*

Principes munifici.

Mummium, Corinthi expugnatorem, & *Pelopidam*, & *Epaminondam* Thebanum repræsentat Noster, & *Darium Hystaspis* filium: qui quendam ferè gregarium & mercenarium militem, *Solisontem* Samium, qui ipsi purpuream vestem adhuc priuato donauerat, amplissimis honoribus, in regni cacumine positus affecit, eiq; largitiones magnas impertitus est. Talium exemplis accedit. Ast *Achæo* Lydiæ Mæoniæque Regi, *Aquilio*, *Crasso*, & *Lucullo* Romanorum omnium opulentissimis, famosissimo *Midæ*, *Scopæ* Thessalo, *Syllæ*, & *Dario* quem institorem dicebant Persæ, totiq; Senatui Romano, (quem *Iugurtha* venalem, & nundinationi expositum, suo tempore clamitabat,) & *Vespasiano* imperatori, (qui stercora obscœnus venundedit, & inde partum aurum suauiter olere vociferabatur,) omnibusq; auaritiæ, & αὐδαίας labe defamatissimis repugnat, & ab eis discrepat.

Principes auaritiæ labe illaudatissimi.

Vespasia-

Vespasianus autẽ morbum animi prodidit, dum rapacissimum quemque ad maximos magistratus promoueret, vt ipsos posteà ditatos, maiore pecuniâ emungeret; ideò amicis, vt spongijs vti dicebatur, vtpotè qui siccos madefaceret, vt turgidos exprimeret. Neq; ad *Othonis* normam sese componit, quem carpsit & criminatus est *Piso*, quòd perdere & prodigere sciret, donare nescius.

Romanorũ quorundam inanis profusio.

Nec multorum Romanorum vreget, aut sequitur exempla, qui cum locupletissimi essent, in ludicra spectacula, & theatrorũ inanes, & euanidos apparatus, immensos sumptus frustrà impenderunt, quos multo fructuosiùs collocare potuissent; & quæ expilatione quæsiuerant, & prauis artibus, ea futili iactantiâ, & friuolâ ostentatione profusa, quasi in aërem coniecerunt. Tale etiam perpetrauit *Cleopatra*, quæ vnionem infiniti pretij emaceratum, in dapibus *Antonio* dedit:

nec

nec absimilis ipse *Antonius*, qui fœminam fœmineo luxu adæquauit, & tanquam personatus Histrio, seposito viri interno habitu, fœminæ mentem & mores quasi sordidum pannum assumpsit, & abdicato virorum consortio, cum Eunuchis & Spadonibus, versatus est : atque hæc de Nostri liberalitate.

Castitas Regis.

Castitatis tantæ encomium adeptus est, vt omnem libidinem, & scortationem, lupanaria, prostibula, & *Thaides*, (quæ Reges veluti tineæ paulatim corrodunt,) vt calicem palato quidem arridentem, mortifero tamen illitum veneno, cane peius & angue detestetur; eas artes, vt pestem & crudam luem fastidit, quo sanctissimi *Iosephi* honestatem sequitur, qui vxoris *Potiphari* deploratissimi prostibuli, (quæ omni verecundiâ, & pudore abiecto, meretriciam frontem perfricuerat) incantationes pietate exuperauit; & *Alexandri* pudicitiam, qui

Principes pudici.

neque

neque vxoris neque filiæ *Darij* coitu & contubernio ſeſe commaculare voluit,& *Africanum*, qui Numantini cuiuſdam formoſiſſimam filiam inter ſpolia,& captiuos compedibus alligatos, apprehenſam, non intactam tantùm, & cœlibem, ſed & dote donatam genitori remiſit, quo indigenas alioqui obſtinatiſſimos, ad ſponta-neam deditionem prouocauit;verùm ab *Antonio* luxurioſo recedit, qui Li-burnorum turrigeras & roſtratas na-ues, (quæ turres nauium propugna-cula vocantur)& ſpectabilem claſſem, *Octauiano* dedidit, harum Sirenum cantu dementatus; & à *Caracallâ*, qui ſororis amore æſtuabat, & hæc verba inflammati pectoris notas, impudens protulit, *Vellem ſi liceret*; cui illa fratre nequior, *Si libet licet: noſtíne te Imperatorem eſſe?* Et ſicut ab iſtis puriſſima Noſtri mens diſſidet, ſic ab omnibus alijs qui hâc eſcâ vt aucupis fiſtula, & laqueo capti ſunt, & adulteriorum voragine

Duces libidinis cœno immerſi.

voragine & cœno, vt ſues immundi, Cyrcæis inebriati poculis, volutantes, ſeſe, & poſteros ſuos, cœli, ſoliq; odijs & ſannis, ac prædatorum rapacibus vnguibus, aduncisq; roſtris expoſuerunt: qui, ſicuti putidæ ſalacitatis inſatiabili, & effrænatâ fame, ſui nauſeam apud omnes pepererunt; ſic eâdem impotentiâ, inſtar Leporũ (quadrupedum ſalaciſſimi animalis) ex Regum ſerie explodi, & exſibilari meruerunt: talem incontinentiæ mercedem retulerunt, qui hâc luridâ, & prurienti ſanie infecti fuerunt.

Tranſitio ad commendationem corporis.

Sed ne in exemplis inculcandis ambitioſior videar, tum huic virtuti, tum reliquis omnibus internis Colophonem adijciam, & ex hac ſtatione pedem referens, ad pulcherrimi corporis lineamenta, meatus, & exercitationes, frontiſq́ue honores properabo; quæ enucleatiùs rimari, & inueſtigare, ſuperuacaneus eſſet labor, cùm ſuorum, vultu, exterorum verò Europam

ropam incolentium singulis, vel in latentissimis angulis degentibus, effigie ad ipsius proportionē affabrè, & exactè conformatâ, innotuerit.

Et corporis venusta, omniumque membrorum decenti analogiâ resplēdens forma, vt sine sapientiâ, statua est spiraminis expers, sic hâc concomitatam nemo despiciendam ducat; imò vt ait quidam Græcus:

Ὡς ἡδὺ καλλος ὁταν ἐχῃ τὴν σωφρονα,

Quàm iucunda pulchritudo, quum habet mentem sapientem?

Huius ego corporis meatus, & συμμετρίαν, commodiùs commemorare nequeo, quàm quòd ab extremis longissimè recedens, auream coloris, omniumque organorum mediocritatem & proportionem attigerit. Staturâ est procerâ; colore non prorsus rubenti, aut igneo, neque tantillum pallenti, aut liuido, sed intermedio, qualis est ille de quo *Virgilius*.

Color Regi conuenientissimus.

Indum sanguineo veluti violauerit ostro

Si

Si quis Ebur, vel mista rubent vbi lilia
Alba Rosa. (*multa*

Id est, Eburneo mistum, & sanguineo.

Genis est neque obesis, neque inflatis, aut prominentibus, neque tabidis, aut macilentis, sed honorificè rotundis, & oblongis.

Fronte neque vllatenus tetricâ, neque rugis aut supercilijs demissis horrens, sed planè altâ & Regali: & si interdũ iracundus torquere velit, quàm asperâ & terribili! Humeris, & femoribus latus. Barbâ, nec supra modum densâ, aut promissâ, neque leui, & dubiâ lanugine vestitâ, sed qualis conuenit. Tibijs, cruribus, omnibusq; iuncturis neruosus. Vertebris, ad facilem flexũ adaptatis. Oculis lynceis, & rutilantibus, atque instar Eoï Iubaris, aut Luciferi matutini micantibus; qui neque incompositâ reuolutione fluctuant, neque segniter torpent, sed suis sedibus fixi, celeri motu in omnes partes circumferuntur, & vnico nictu quæ-

Membra Regi optimè proportionata.

quælibet obiecta velociter obſeruant, apprehendunt, & diſcernunt. Et vt Omnipotens, *(terras,*

Pronaq́ cum ſpectent animalia cætera
Os homini ſublime dedit, cælumq́ tueri
Iußit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Vt ex *Anaxagorâ* protulit *Naſo*, nomine, & re naſutus, & iudicioſus: ſic præ reliquis mortalibus, & ſuper cætera membra, vultus reuerentiæ, & eximiæ maieſtatis plenus, à Deo opt. max. illi conceſſus eſt; quo (etiamſi apparitorum miniſterio vacaret) ad magna natum & deſtinatum, & ad adoreos & tergeminos honores in lucem editum, omnes augurari, & præſagire poſſint. In hoc *Dauidi* perſimilis quem adhuc impuberem, ex ephebis nondum egreſſum, neque amictum prætextâ, facie pulchrum, & colore rufo, fuiſſe tradit ſacra pagina: Et *Moſi*, cui venuſtas quædam diuina, iam inde ab vtero matris indita fuit. Et *P. Rutilio*, & *Mario*, quem cum ſqualore

Vultus Regis celſæ maieſtatis plenus.

Principes venuſti.

re obsitus senex esset, & inermis, tamen *Cimbro* qui ad eum iugulandum missus erat, non atrocitate, aut austeritate, sed solâ vultus honestate, animum comminuit, vt non sustinuerit ipsum violare, & sic salutem obtinuit. Denique ab omni labe & inquinamento, ab omni vel minimâ maculâ, aut næuo, à capitis vertice, ad plantam pedis, & in omni corporis meatu purus est, & intactus: quo ab *Hannibale* segregatur, qui Rhodanum trajiciens, & arduas, niuiumq; aceruis irrigatas Alpes, hyberno tempore transcēdens, vnum ex oculis perdidit; & *Agesilao* qui altero pede claudicabat; & *Artaxerxi* Longimano, cuius vitium ipso cognomine innuitur; & *Antigono* Macedonum; & *Ptolomæo* Auleti, Ægyptiorum Regi dissentaneus est; & *Philopomæni* famosissimo Duci; qui cùm suis inscijs, quoddam diuersorium clàm ingressus esset, hospita ob vultus asperitatem, & rugas, gregarium militem

Principes aliqua deformitate læsi.

litem rata, eum sollicitauit, vt macello properè se accingeret, venturoq; *Philopœmeni* patriæ Parenti, (de cuius aduentu, per anteambulonem, & Satrapam quendam, certior facta fuit,) esculenta & carnes pararet, verubusque torreret, & in frusta saginatas pecudes secaret, alijsq; modis satagentibus opitularetur: qui mulierculæ verbis impiger annuit; quem cũ in culinâ & pistrinâ occupatũ, sui superuenientes essent adorti, hospitem obiurgantes, acribus probris incesserunt, & plagas minitati sunt: ast ille paribus iurgijs suorum temeritatem proscidit, & *Parcite*, inquit, *furoremq; mites cohibete: Ego etenim deformitatis meæ pœnas luo.*

Facetta historia de aspero & ruqoso Philopœmenis vultu.

Quare, cum Noster tum animo, tum vultu talis sit, qualem crasso more ostendimus; quæ dicta latinus ille Poeta, ad Virgilianæ Æneïdos commendationem efficacissima, excogitauit:

Cedite (ait) *Romani scriptores, cedite Graij*
Nescio quid maius nascitur Iliade:

Eadem ad commonſtranda noſtri Principis merita, veritatis candido ſtudio adhibere cogimur. Ergo

Cedite Romani primates, cedite Graÿ
Neſcio quis maior naſcitur Æacidâ,
Aut *Æmathio*, *Achille*, aut *Alexandro*.

Noſter etiam, (quantum ego accepi) Deo ipſius ἀρχιατρεῖ æterna laus ſit,) valetudine nunquam afflictus eſt adverſa, neque cutis, artuumue, aut viſcerum vllo morbo, vllâue veterni aut lethargi ſpecie, aut cachexiâ laborauit: quo *Cæſarem* anteuertit, qui in Epilepſiam, ſiue morbum caducum, aut Comitialem, ſæpe prolapſus dicitur: & alios, quos nodoſa arthritis, ſenio nondum confectos, inuaſit.

Firma Regi valetudo.

Vnde laborum inaudita duratio, quâ ſummos Romanorum, Græcorumq; Duces, algoris & inediæ patientiâ, ſi opus eſſet, anteit. Corpore toto eſt prorſus ferreo, & ſaxeo, neque ſudoribus, curſibus, aut itineribus, magis

Rex laboris patientiſſimus.

magis comminuitur, quàm ſilex ictu molli in fruſta diſſilit, ſed membra infracti *Glyconis* ſortitus eſt; neque à fatigationibus quibus quotidie implicitus hæret, vnquam feriari cupit, aut vel vnum diem manumitti.

Corporis temperaturâ & complexione ſanguineâ eſt, cholericæ ſiue biliosæ paululùm admiſtâ, à melancholichâ & pituitoſâ, niſi quantum vtile eſt, omnino ſemotus; veniſq; arterijs, & viſceribus fruitur, neque inanibus, & vacuis, neque humorum fœcibus, aut congerie oppletis, & interceptis: ideo neque in pulmonibus, corde, aut liene, neque in hypochondrijs, meſenterio, aut hepate, neq; in felle, ſepto tranſuerſo, aut cerebri reticulis, vllum vitium, aut morbi fomentum reſidere ſuſpicari poſſimus. Quocirca pigmentariorum pharmaca, & thecas faſtidire tutò poteſt, & *Æſculapij*, *Hyppocratis*, *Paracelſi*, *Galeni*, Arabum, omniumq; medicorum (quos tamen li-

Temperatura Regis.

teratissimos habet ad manū,) Apozemata, Phlebotomias, & interciſiones, & cucurbitas præterit; vt qui crapulā, omnemque temulentiam, & ingluuiem, (quorum tum prædicti, tum omnes alij morbi fœtus ſunt & progenies,) vt naufragos ſcopulos abominetur. Hinc etiam tanta morum naturaliter ingenita compoſitio, tantaq; mentis capacitas, hinc etiam (quātum naturalis inſtinctus valet,) fit vt multis ſymptomatis careat, quibus plerique Reges iactati ſunt, quibus abdominis & gulæ intemperies multa mala conflauit.

Deus ſuæ bonitatis ſpecimen illuſtre edidit in tali viro producendo.

Quæ omnia tantarum virtutum, laudumq; agmina, cum in vno Rege concurrant, quanta ſuæ bonitatis documenta, in eo ornando, & intus foriſq; ditando, ſimul coaceruauit rerum conditor & rector? Vt omnis homo promiſcuè ad Dei imaginē & ſimilitudinem extructus eſt: quod vel ipſe *Manilius* ethnicus agnouit dicens:

Non

___Non mirum noſcere mundum
Si poſſunt homines, quibus eſt & mundus in ipſis,
Exemplumq́; Dei quiſque eſt in imagine parua.

Vnde orthodoxâ ratione arguit:

In cœlumq́; redire animas, cœloq́; venire.

Sic præ multis alijs hominibus hâc prærogatiuâ coronantur Reges, vt ex Græco illo euincitur:

Εἰκων γαρ βασιλευς ἐστιν ἐμψυχος θεου;

Imago enim Rex eſt animata Dei. Sic (inquam) peculiari quâdam ratione, tantis, totq́; gloriæ cumulis, & multiplicatis gradibus, in Noſtro pari paſſu coeuntibus; priuilegium illud longè illuſtriſſimum, tum præ alijs Regibus, tum etiam præ alijs hominibus conſequutus videbitur, vt Regum virorumq́; Phœnix cenſeri poſſit, vbi abierit irreparabilis.

Corpus exercet vel lanceam vibrando, vbi (vt ait *Tydides* de *Æneâ*) quantus aſſurgit in clypeum! quo tor-

quet haſtam turbine! quàm rectè ſcopum ferit! Et venatione delectatur, (canum enim fidelitatem erga dominos, ex multis hiſtorijs deprehendit,) ſaltuſq; indagine ſepit, & luſtra ferarum, Indicis, Caſpijs, Albaniciſq; canibus, atque Moloſſis, & Lyciſſis ſcrutatur, & obſidet: & illud *Amaſis* Regis ſecum voluit: *Arcus ſemper intenſus rumpitur*: Itaque feria nonnunquam intermittit, vel interpoſitâ ludorum viciſſitudine, quibus horas interdum fallat, remittit, vt ad eadem alacrior, & vegetior redire queat. Ita ſe geſſere *Viriatus* Luſitanus, *Antonius*, *Æneas*, *Iulus*, quin *Scæuola*, *Pompeius*, *Maſiniſſa*, *Sylla* Dictator, & *Orchus* Moloſſi Rex, & permulti ex Perſiæ Regibus; quanuis alioqui ſacratam ſuam maieſtatem frequenti hominum aſpectu prophanari ducerent: & ideo aulęis & canopæis incluſi, ſeorſim degebant. Neque vltima erat ex laudibus *Herculis*, quòd ipſius venantis telo Erymanthum.

Rex venatione vtitur

Principes venationi dediti.

mauthius aper, cæsus & transfixus, occideret.

Venationi accedunt alia etiam equitationis genera; Is Eleo vectus equo Olympionicos ipsos steneret; Is phaleratis equorum dorsis insidens, sponso è thalamo suo prodeunti similis est; quem si ipse *Bellerophon*, si *Lapithæ*, aut *Centauri* arua & fossas transilientem viderent, è vestigio obstupescerent. Vt animosos equos nunc habenis in gyrum & orbem cõuertit! Nunc calcaribus in cursum propellit! nunc frænis in saltũ erigit! vt feras ipsas ad nutum habere, & ephippionon minùs securè vehi appareat, quàm si cathedrâ eburneâ, aut sellâ curuli contineatur. Vt Eleos, Scythicos, Numidicos, Hispanos, Colophonios, Venetos, Asturienses, & Agrigentinos equos alere, & subigere nouit! quàm delectat eorum Mauortias iubas contrectare, & è carceribus ad metam ijs portatus volare. In hoc

Rex equitandi peritissimus.

Optimorum equorum genera.

Reges equitationi multum addicti

Alexandrum sequitur, (cuius *Bucephalus* etiam vulgo notus est,) & *Nicomedem* Bithyniæ Regem, cuius equus, hero interempto, ad alios omnes calcitrauit, & pabulo amplius vesci nolens, mœrore statim perijt; & *Cimonem* Atticum, qui vno equo bis lauream retulit in Olympicis; & *Cæsarem*, cuius equus famâ valde percrebuit. Nostri Pegasus similis est cataphractis Persarum, qui ferri laminis adeo fulgentibus cooperti fuerunt, vt occursantium visus perstringerentur: & his *Virgilij* versiculis eius fabrica substernitur:

Laudabilis equi hypotypósis.

Continuò pecoris generosi pullus, in aruis
Altiùs ingreditur, & mollia crura reponit,
Primus & ire viã, & fluuies tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponto,
Nec vanos horret strepitus: illi ardua cernix
Argutumq; caput, breuis aluus, obesaq; terga
Luxuriatq; toris animosum pectus, honesti
Spadices, glauciq; color deterrimus albis,
Et giluo, tum siqua sonũ procul arma dedere,
Stare loco nescit; micat auribus, & tremit artus.

Col-

Collectumq́, fremens voluit sub naribus ignē:
Dēsa iuba, & dextro iactata procūbit in armo.
At duplex agitur per lumbum spina, cauatq́,
Tellure, & solido sonat ampliter vngula cornu.

Neque tamen hoc oblectamento quasi escâ fascinatus, desipientium & deprauatorum hominum ritu, insolescit, (de qua re ipsum admonere operæpretium non est, verùm lectorem commonefieri non est absre) sed talibus recreationibus vtitur ad curas leuandas, & μελεδωνας quibus iugiter premitur; expenditq́; (vt ait Propheta) equum carnem esse, non spiritum, agilitatemq́; corporis parui, imò flocci fieri oportere: & tum equi tum sessoris, quisquis ille sit mortalium, in luteis tabernaculis & tugurijs his fictilibus degentium, spiramina breui intercluſum iri: nobis homuncionibus ἡμεροβιοις vitæ filum mox scindet *Atropos*, & *Parcæ* æuum claudent, & in tumulo exanimes ponendos, vmbratiles & fluxæ carnis nostræ voluptates

Rex immodicâ rerum mortalium delectatione non abripitur, & quare,

tates & illecebræ deſerent, atque in amicorum planctum & vlulatum transferentur. Neque vicinum exemplum obliterari patitur Noſter imbecillitatis humanæ præſcius, de *Henrico* ſecundo, Galliarum Rege, qui ſuprà quàm par erat, ſibi confidens, hac arte fretus, omnes vilipendebat; & cum reliqui proceres cum eo tanto pugile haſtas conſerere renuiſſent; Mont-gomerium Comitem nolentem volentem in paleſtram, & equeſtre duellum perduxit; qui prouinciam illam diu auerſatus, &, ſi Regem interficeret, reatum deprecatus: tandem vbi nihil cõtradicẽdo prævaluiſſet, neq; profeciſſet verbis, in Regem tremens & ingemiſcens fertur; quem caſſide velatum teli mucrone terebrauit, & tempora perforauit ferro, dum ſolenni pompâ, *Delphini* cum ſereniſſimâ *Mariâ* Noſtri Principis genitrice, nuptiæ condecorantur; ita vox gaudij & exultationis in lachrymis & ejulatu terminata eſt,

Hiſtoria flebilis & luctuoſa de Henrici Galliæ Regis morte.

est; & qui nuper saltu & amœnis cantibus hilares gestiebant, mox passis capillis, & tunso pectore confusi incedunt; eo vulnere malè curato, & posteà suppurante, & ingraueſcente, mox vehementiùs sauciatus, fato concessit, & debitum naturæ vectigal exoluit:

Olli dura quies oculos, & ferreus vrget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Mortuo, conuiuæ pullata & lugubri veste iusta soluerunt, & exequias fecere. Insigne certè humanę iactantiæ, ac tumoris repressi, & ἀλαζονείας frænatæ specimen. Noster autem in talibus non sic exspatiatur, neq; humanis affectibus repagula laxat, sed ruentes & immorigeros tempestiuè coercet. Namque quod de equis Solis, Phaëtonti filio dicit Phœbus, id humanis affectibus exactissimè quadrat.

Affectus humani similes equis Solis.

Parce puer stimulis, & fortiùs vtere loris
Sponte sua properant, labor est inhibere volantes.

Et

Repentina Philippi imperatoris mors.

Et *Philippi* imperatoris, *Maximiliani* filij lamentabile exemplum, animo catus recondit, quem atra dies abstulit, in primulo florentis æui limine, & in tanta rerum præsentium affluentia, ac futurarum expectatione, patris, patriæq; spem, & præsidium, ex improuiso mors transtulit, vitæq; stamẽ ipsi intersecuit; ac suorũ genas lachrymis madentes, ac corda suspirijs & singultibus palpitantia, reliquit: tantoq; exemplo monstrauit, omnem mortalem bullam esse, & cum *Pindaro* vmbram, aut vmbræ somnium: de qua re, grauiter differuit *Glaucus* apud *Homerum*:

Fragilis vitæ nostræ conditio ex Homero.

Οἵη περ φύλλων γενεὴ, τοίηδε καὶ ἀνδρῶν.
Φύλλα τὰ μὲν τ' ἀνεμος χαμαδὶς χέει, αὐτὰρ δὲ θ' ὕλη
Τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη

Tale quidem genus est hominum, quale est foliorum,
Quorum hæc ventus humi fundit, rursum illa virescens

Pro-

Profert ſylua, ſimul veris iam afflauerat aura.

Et in hunc vitæ ærumnoſum exitum, & ſaxum miſerabile, eminentiſſimi promptiùs impingunt, & Euri ſecundo flatu propellente, neſcientes inflata vela demittere, neq; rectà *Cynoſuram*, aut *Canopũ* verſus tendere & collimare, Syrtibus, aut promontorijs alliduntur, vndiſq; dehiſcentibus excepti, citiùs deglutiuntur, quàm quibus Africus Aquilone decertans, curſum nonnihil remoratur, quibuſq; minora expanduntur lintea. Enimuerò, vt fulmẽ in aërea Acroceraunia, & Olympum, nubiferorumq; montium cacumina potiſſimùm decidit; ſic vltrices ſcelerum ſagittas Deus in inuictiſſimos frequẽtiùs coruſcat, & eiaculatur, niſi excandeſcentiæ cœleſtis flãmam ſtipulis ſemel conceptam, exundantibus lachrymarum, & contritionis riuulis, maturè extinguant, materiamq; quâ naſcitur, & paſcitur, vt abortiuum & mon-

Règum periculoſus locus.

monſtroſum partũ maturè ſuffocent, niſi ſpiritualis gratia cum humanâ authoritate, concatenata ſit.

Que condimenta ferculis addiderint Ægyptij.

Ideo cautus & catus ille Rex, admoto calice hoc, ſibi inculcari popoſcit, *Memento te mortalem*: & Ægyptij in medijs epulis, mortuum in ſtatua accumbentibus repræſentarunt, dictitantes propediem futurum, vt lætiſſimi, & ſaturatiſſimi conuiuarum tales euaderent. Per quas ſalebras & ſentes, per quàm ſqualentia ſpineta, per quã ſiticuloſas ſolitudines pergimus, quã triſti cataſtrophe vitæ tragœdiam & fabulam concludimus, niſi melioris vitæ inconuulſa ſpes affulgeat! Quo-

Hominum confidentia

ties Oſſam Pelio imponere nitimur, & Oſſæ frondoſum Olympũ ſuperjicere, caput & criſtas inter nubila cõdimus! atſi naſcentes, vegeti, & exſpi-

Humana vitæ ſcopus.

rantes excutiamur, ſcarabæo, aut culici ſimiles inueniemur, ni ad hæreditatem vnde excidimus, candidis votis anhelantes, aſpiremus, & in piſtrinam con-

conditionem, & primogeniam integritatem, vt recidiua mœnia erigamur æternamq; vitam æqua lance pensitemus. Quàm sunt tenuia vitæ initia, vt graueolentium lucernarum olfactu abortus fiat? Quales progressus, vt *Hadrianus* Pontifex, & *Anacreon* Poëta grano vuæ passæ perierint? Calorem intus fouemus & pascimus, quo demum consumimur. Annis crescentibus, dolores crescunt, & exhulcerantur vsque ad occiduam & decliuem senectam; & quantum ad caduca spectat, verissimè pronunciat noster Poëta, dum quanto tædio mortis aduentum præstolemur, significat:

Initia & progressus vitæ nostræ quàm debilia & lubrica.

*Fœneramur (*inquit*) mortis indies moras,*
Morbis, periclis, luctibus, molestiis,
Nec longa vita, aliud est quàm longi mali
Catena, mortis, nexa ad vsque terminum,
Serie perenni.

Idem purpuratis, & pannosis in busto honos, & locus defertur, in eadē elementa vtrique conflantur, sitis & rubigo

bigo pro oſtro & lapillis ſuccedunt. Quibuſcunq; viuentes affixi delinimur, ea in morte, & acerbiſſimis Satanæ inſultibus, nos deficient; imò vt æſtuantia vina morbum febricitantibus augebunt. Quemadmodum Ceruus per nemora & ſyluas fugiens, dū vepribus & dumis alligatur, cornua ipſius curſum impediunt; quali caſu tibias laudat quamuis graciles, aſt cornua extenſa, & tenacia damnat: ita mortis & gehennæ metu expauefactus animus, ſublunaria quæuis aſpernatur, & abiectum, nudumq; ſeſe coram Deo ſiſtit: atque hoc vnum in votis habet, vt *Tonanti* redeat in gratiã, & quicquid habuit ſuperbiæ & elatæ amplitudinis, id vt aſpidem è gremio projcit, longèq; mutatus ab illo qui fuerat, palinodiam canit. Ergo hoc Regis noſtri laudibus quis annumerandum, & inſerendum neget, quòd cùm omni corporis expetenda qualitate, & agilitate fruatur, & in equis per-

Similitudo tenenda.

perdocendis, summorum heroum peritiam, & dexteritatem vincat: his tamen neque astrictus sit, nec sibi indulgeat, aut immodicè placeat, neque in cardinalium virtutum, quas suprà recensuimus, societate & choris locanda arbitretur.

Quare vt postremam sedem, inter ornamenta Regis, corpori hactenus assignaui, (quanquam & eo ipso respectu, hominum quos nunc nutrit terra, facilè primus sit:) ideo, qui nuper sui corporis hypotypôsin protrahere, & enarrare vberiùs constitui, nunc à cœpto desistam: & quamuis de corpore fusiùs & vellem & possem verba contexere, tamen *Leucippis* & *Parrhasiis* eius formam explicandam trado. Enimuerò, quicquid est corporeum, aut mortale, quicquid corruptibile, eo omni brutis animantibus cedit homo, inter naturalia, solâ ratione superior: (ideo tanti Regis encomia eloqui volentem consideratio illa diu

A Corporis explicatione cur tam properè pedem mouerit author.

non tardabit, neque aliò festinantem à proposito distrahet,) nimirum Leo robore, Ceruus pernicitate, Cercopithecus agilitate nos antecellit, longeuitate cornix garrula, visu Lynx, gustu Simia, odoratu vultur, sagacitate canis Crocodilus astutiâ, Hyæna & Panthera compagum firmitate, nec non verecundiâ Elephas, sollicitudine Ciconia, prolis studiosissima, industriâ Apes, & Formicæ; dulcedine musicâ Philomela transcendit, in cujus tam arctis faucibus omnia reperiuntur, quæ tam exquisitis tibiarum tormentis ars hominum elaborauit. Ad hæc in feris quanta medicinæ notitia, quâ non modò tyrones, sed etiam magisterio donatos superant? qualis est Hippotamus, Ceruus, Aper, Anguis, Draco, Vrsa, & Coruus. Præterea homo solus ex animalibus alienis opibus velatur, ac omnibus vitæ suæ protelandæ modis orbatus in lucem exponitur; reliquorum alijs dura cutis est pro

pro munimento, ad propulsanda tela, & tempestates; alia dentibus, vt Leones & Apri; alia rostris & vnguibus, vt Aquilæ, Milui, & Accipitres armãtur; alia cornibus vt Armenta: & quibus vires denegauit Deus, vt Leporibus, & Hirundinibus, ijs pernices alas aut nobiles pedes dedit: timidis enim velocitas, arma validis conueniebant; neque igitur timidum aliquod armauit Deus, neque aliquod audax inerme destituitur.

Insuper, varia tegumenta his attributa sunt, coria, cortices, spinæ, squamæ, aut pili: & alia vel leuibus pennis in aëre suspensa, vel latibulis septa, à fortioribus se substrahere possunt: ast homo, his omnibus subsidijs priuatus, reptans ingreditur, & inualido poplite, armorumq; simul, ac pernicitatis expers, dies percurrit. Hîc impudenti fronte clamitant, & cauillantur Epicurei, Naturam non matrem, sed nouercam hominibus esse: Sed oblatrare *Arma ferarum.*

desinãt tales rabulæ,& nefariæ pestes. *Lactantius* eorum blasphemias,scitissimè amolitur: horum omnium absentia ratione resarcitur,huic dignitas hominis accepta referri debet: Deus homini pro omnibus tum defensorijs, tum oppugnantibus armis, rationem, manusq; organa rationis iussibus & mandatis exsequendis idonea, largitus est;his pace,bellóque,& in artibus agimus;his enses, & hastas ad secandum,& bellandum contrectamus,his lapides & ligna contorquemus; his eminus iuxtà ac cominus valemus:his omnia ferarum operimenta transuerberamus:his muros, & turres exstruimus,& cisternas,scrobes,puteos,cuniculos,fossasq; excauamus.Rationis & ingenij lumine armatus homo, omnibus ferarum phalangibus potior est & valentior, & residuâ imaginis diuinæ portione fulti, omnia sponte nostrâ dirigimus, & cum refractarijs digladiamur;ratione præstantes,tumulo incluſi

Vt Deus ratione omnes humanos defectus compensarit.

incluſi reuiuiſcimus. Quis igitur audeat cũ amãtiſſimo patre expoſtulare, aut querulas voces eructare, niſi furioſâ mente, & pudore ingenuo in totum proſtituto? Sed rationi addita eruditio (inquam) lucidâ arce ponenda eſt, de quâ *Tullius*: *O vitæ Dux, ô virtutis indagatrix, expultrixq; vitiorum, quid genus hominum ſine te eſſe potuiſſet? tu vrbes peperiſti, tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti, tu eos inter ſe primò domicilijs, deinde coniugijs, demum literarum communione iunxiſti, tu inuentrix legum, tu magiſtra morum fuiſti; eſt vnus dies benè & ex præceptis tuis tranſactus, petcanti immortalitati anteponendus; cuius opibus potiùs vtimur quàm tuis? quæ & vitæ tranquillitatem largita es, & terrorem mortis ſuſtuliſti.* Sed quorſum tãm multa de ratione, & doctrina? quò iam digreſſi ſumus? Nimirum cum pietas, eruditio, & iudicium, tanti pretij margaritę ſint, vt nouiſſimo hoc diſcurſu

Eruditionis elogia.

Regis descriptio ab animo inchoata, in eodem desinit, & quare.

monstrauimus: sicut in ijs personæ reuerendissimi nostri Ductoris definitio inchoata est, in ijsdem terminabitur, & ad eam in quâ incepta est, periodum perducta Regis prosopographia, in eâdem subsistet; vt in circuli circumferentiâ fit; ab animo auspicatus, in animo desinam, corporéque posthabito, ad animum reuersus, virtutibus excellentissimi Regis coronidem apponam. Ipse comptos vndulatos, & calamistratos odit, & quæ ad fucum corpori inferendum faciunt, Cymatiles vestes, vt crepundia spernit, (quanquam omnium quos nostra tulerunt tempora corpore sit maximè decoro, atque inculpato,) & in purgatissimæ, & defœcatissimæ mentis nitidissimis lymphis conquiescit: idcirco neque ego corporeæ molis dotes vlteriùs extollam.

Cæterùm, hoc fasciculo prædicta omnia complicabo: quanto amore & obseruantia, quanto studio, & fidelitate,

tate eum prosequi debemus & complecti, in quem Deus tam multiplices gratiæ & cœlestium donorum thesauros, vt flumina supernè simul effudit, & congessit? quem haud vanâ aut fallaci fide, vt paterni amoris pignus & tesseram, diuinitus nobis datum, & conseruatum spero, certóque mihi polliceor. Nulla tellus omnia fert ex græmio suo; hinc segetes, illinc vuæ fœliciùs veniunt; Tmolus mons crocum mittit, India ebur, Sabæi thura, nardos & calamos Arabicos; Chalybes ferrum, Pontus castorea virosa, Tagus auriferos vortices, & Epeirus Eliades equas, Pharia gens anniuersâriam septemflui Nili inundationem habet; nulla terra omnibus illis abundat. Et vt hæc naturalia nulli prouinciæ aut regioni cuncta simul contingunt, ita neque natio vlla omnibus artefactis nitet; Rhodus Colossо, Babylon horto pensili, & muris; Campus Martius Romæ, obelisco, Caria Mau-

Incomparabilis Regis excellentia, duplici similitudine declaratur.

solæo Artemisiæ opere, Memphis & Ægyptus Pyramidibus, & ædificijs coctilibus, ac Sphinge; Roma amphitheatris, & aquæductibus, Creta labyrintho, & Ephesus sacrilega, Dianę templo: ast omnia hæc opera simul sibi ascribere nulla potest: & vt terræ, sic homines propriarum virtutum encomijs & clangoribus ouantes gratulantur. Verùm ille obseruandissimus noster Antistes, omnifarios virtutis fontes imbibit, omnium latices liquidos expromit, omnium signa & testimonia factis, & verbis amplissima, ad omnem commoditatem oculatis in propatulo ponit; is diuinæ gratiæ saliente succo, & imbre ex cœli cataractis depluente, adeo irrigatus est, vt mirâ fœcunditate suauissimos flores ex agro pectoris sui, quasi ex horto & viridario indies producat, nec verbis cuiusquam commendari potest, sed meritis suis.

Certè, ad tantarum rerum culmen tam

tam editum, neque *Dardanus*, neque *Theſeus*, neque *Godophredus* appropinquauit: cui vni hæc omnia accidunt?

——οὔ Αγαμεμνονι Theocritus.
Τυτ' ἐπαθ', οὐτ' Αιας ὁ μεγας βαρυμαγιος Ηρως,
Ουθ' Ηκτωρ, ἑκαβης γεραϊτερος εἰκαλι παιδων,
Ου Πατροκλης, ἠ Πυῤῥος, ἀπο Τροΐας ἐπανελθων,
Ουθ' οἱ ἐτι προτεροι Λαπιθαι, χ' Δευκαλιωνες,
Ου Πελοπιαδαι τε, ἠ Αργεος ἀκρα τελασγοι

——*Neque Agamemnoni*
Hoc euenit, neq; Aiaci graniter furẽti Heroi,
Neq; Hectori honoratiori inter viginti filios Hecubæ,
Neque Patroclo, aut Pyrrho à Troiâ reuerſo,
Neque iis qui ſuperiores fuerunt, Lapithis aut Deucalionibus,
Neq; Pelopidis, aut Argiuorum principibus Pelaſgis.

Neq; *Carolo Magno*, qui diuulſas Imperij particulas congregauit, & adunauit longo tempore ſeiunctas, & quaſi luxati corporis artus, ſuis vertebris refixit.

Et vt vera loquar, quas in auguſtiſſimis

simis viris diuersas virtutes, seorsim & sigillatim, diuersæ ætates & loca produxerunt, eæ in Nostro gregatim & certatim simul coincidunt, omniumque temporum, & Regum amabiles & suaueolentes flores in eo coniunctim elucent; vtpote, quæ in *Iphicrate, Theseo, Chabria, Timotheo, Datame, Hamilcare, Hasdrubale, Alcibiade, Cymone, Lycurgo, Solone, Themistocle, Seruio Tullo, Camillo, L. Torquato, Mălio Coruino, Pericle, Coriolano, Fabio, Paulo Æmilio, Timoleonte, Dione, Pelopidâ, Aristide, Miltiade, Pausaniâ, Catonibus, Scipionibus, Philopomœne, T. Flaminio, Pyrrho, Lysandro, Niciâ, Eumene, Agesilao, Antigono, Phocione, Agide, Arato Sicyonio, Cleomene, Demetrio Poliorcete, Lysimacho, Epaminondâ, Thrasibulo*, & *Cnone*, seperatim extiterunt; vel pietas, prudentia, & æquitas: vel potentia, fortitudo, & clementia; vel doctrina, facundia, vigilantia, & φιλανθρωπια; vel Regni amplitudo,

Plurimi bonos recensentur quorum maximè conspicua ornamẽta in nostro Rege simul concurrunt.

plitudo, ſucceſſus ſecundus, & clientum amor: vel mens, manus, & lingua; & impauidum, prouidumq; pectus, vel conſtantia, taciturnitas, & ſagacitas: vel denique quicquid eſt laudabile, quicquid ſibi ſuiſque conducibile, quicquid exteris terrificum eſt, & formidoloſum: quicquid artis, aut Martis, naturæ, aut educationis, quicquid experientiæ & obſeruationis, id omne cordis ſui receſſibus & abditis angulis comprehendit ac congeſſit.

Quos (inquam) viros, diſtincta ſæcula, diſtinctæ terræ pepererunt: quippe *Theſeus* decimus Athenienſiũ Rex, regnare cœpit, iuxta *Functium*, anno mundi bis milleſimo ſeptingenteſimo ſexto: *Iphicrates Ageſilao* coëtaneus, *Ageſilaus Lyſandro*, *Lyſander* Athenas deuaſtauit, anno ſecũdo nonageſimæ quartæ Olympiadis; *Chabrias Iphicratẽ* proximè ſequutus eſt, *Timotheus Epaminondæ* æuo floruit, *Datames* cum *Artaxerxe Mnemone*, *Hamilcar*,

Tempora & ætates plurimorum illustrium virorum notantur, & designatur, quorum laudes supergreditur nostri sæculi vex eminentissimus.

Hamilcar pacem fecit cum *Catulo* Romano Consule, anno V.C. quingentesimo vndecimo; cui successit gener *Hasdrubal*, eique substitutus est *Hannibal*: *Lycurgus* floruit septem annos ante initium Olympiadum, anno mũdi 3180. *Solon* tempore *Seruij Tullij*, *Themistocles* Olympiade septuagesimâ quartâ. *Camillus* Gallos deleuit anno V. C. 520. *Alcibiades* circa bellum Peloponnesiacum vixit & viguit; turbulẽtus *Coriolanus* vrbem turbauit anno V. C. 572. *Timoleon* in Siciliam profectus est post mortem *Dionis*, anno V. C. quadringentesimo quinto: *Pelopidas* tempore *Camilli*, *Aristides* fuit vnus ex decem Ducibus Græcorum, qui Persas in Marathonio campo *Miltiadis* consilio vicerunt; interfuit etiam prælio Salaminio cum *Themistocle*, & *Pausaniâ*; *Cato Maior* cum *Scipione* in Hispaniam Quæstor missus est, anno V.C. 550. *Philopœmẽ* floruit tempore *T. Flaminij*, hic autem dele-

deiecit *Philippum*, anno V.C.571. *Pyrrhus* subegit Macedoniã, deuicto *Demetrio*, ope *Lysimachi*, Olympiade 123. *Cymon* tempore *Themistoclis*, depulsis barbaris, totam Asiam ab Ioniâ ad Pamphyliam Græcis subegit. *Nicias* claruit tempore *Alcibiadis*, *Eumenes* & *Phocion* cum *Alexandro*; *Agis* vixit tempore *Arati Sicionij*, Olympiade 134. *Demetrius Polyorcetes* successit *Antigono*, à quo *Eumenes* cæsus est; *Artaxerxes Mnemon* pugnauit cum *Cyro* fratre, nonagesimâ quartâ Olympiade; *Dion* Siciliam tyrannide *Dionysii* iunioris liberauit, circa Olympiadem 103. *Epaminondas* æuo *Pelopidæ*, in Mantineâ pugnâ extinctus est; *Thrasibulus* & *Conon*, prædicti *Artaxerxis* tempestate nitebant.

Ergo tantorum virorum, tam distãtium locorum, & remotissimarum ætatum, vno eodemq; tempore, vnoque loco, imò in vnius eiusdemque viri

viri personâ, conspirantia, & cæteratim coëuntia cernere ornamenta, quàm est admirabile, quàm stupendum? quàm delectabilis, quantóque delectu seponendus is est, qui ijs depictus & amictus irradiat, interq; reliquos mortales micat velut luna inter minores ignes? quique hâc ratione supra alios nostri temporis Reges, tantò caput extulit, quanto Cupressus inter Viburna, aut Cedrus inter Corylos effertur. Certè, hanc similitudinem cum magno illo *Pompeio* negligere nequeo, quòd *Pompeius* cum gestorũ suorum apicem pro Rostris exponere vellet, & enucleare, ac populi affectus erga se intensiùs prouocare, quos languentes percipiebat, has voces edidit: *Ego quam Asiam accepi vltimam ex Romanis prouincijs, eam mediam feci; is scilicet imperium versus ortum suâ curâ in tantum protraxit solus, quantum omnes priores Romanorum Duces, & Consules, per multa sæcula, in nostrâ continente ver-*

Luculenta Regis dignitas præ Põpeio.

versus occasum, terrarum acquisiuissent. Hæc summa summarum in eo laudis fuit. Hoc præstitit Anteceſſor noſter, quando quam ſuſcepit Tuedam prioris Regni limitem, eam Regnorũ intermedium, & diuidens cingulum fecit. Aſt in hoc ei cedit *Pompeius*, in hoc lauream Noſtro concedit, quòd *Pompeius* inuitis ſeſe obtruſerit: Noſter verò mortuæ Reginæ edicto & diplomate, ac omnium ordinum rogatu, acclamatione, & conſentientibus ſuffragijs, in ſui hæreditarij Regni poſſeſſionem accitus, attractus & intromiſſus fuerit: ille aliena, vi occupauit: hic votis & poſtulationibus adactus, ſua admiſit. Eius excellentiam totam quiſquis ſe limatè traditurum receperit, vadimonium deſeret, ad extremum peccabit, & ilia ducet ridendus: hunc ego dum per ora virûm variantia, & per oras diſſitas efferre tento, Oceani irremeabilis æſtu vorticoſo abſorberi videor: ſed quos virtutis

Excuſatio authoris.

hym-

hymnos canorâ voce pãgere nequeo, eos rudi arundinis flatu ſaltem exprimam. Hæc vna ſeges (ô patriæ fulcimen) floridæ camœnæ grata! hæc ſola nobis materies, hæc ſagittis obiecta meta, vt per vaſta quadrifidi mundi mœnia, radij tui diſpergantur, & eouſq; protendantur, quò Phœbus bis ſena ſegmenta, retrogrado pererrans lapſu, igneo curru almam lucem ægris terrigenis diſtribuit, meta inquã, quam vt iuuat iaculo ſeptinerui & reſonante tetigiſſe! & arcù tali, qualem ſubter valla Thebania *Antiope* ſatus abdidit! tuas ego laudes non lyrâ nec ſonorâ voce, ſed auenâ ſylueſtri, & leui ſtipulâ cano. At ſi quando mihi mitior affulſerit, plectriq; ſtrepentis modulamine penitiùs aures & animum feriet, quæ vel mutis piſcibus Cygni canentis ſonum concedere poteſt, aureæq; teſtudinis concentum temperat; tunc quæ voluntas præcoces & præmaturos hos tibi fructus obtulit,

lit, eadem maturiorem fœtum dicabit.

Porrò argumento ex præcedentibus assumpto, de amore iam fari aggressus sum, quo in ipsum sui feruere, & inclinare debeant; id paululùm vrgebo, & sic institutam laudum enarrationem concludam.

Quæ Regis futura gloria apud posteros, similibus exemplis illustratur.

Danaus à Peloponnesijs, *Theseus* & *Solon* ab Athenienſibus, *Minos* à Cretensibus, *Antenor* à Patauinis, *Lycurgus* à Lacedæmonijs, *Saturnus* à Latinis, (qui genus indocile emendauit,) à Romanis *Romulus*, à Phœnicibus, & Græcis *Cadmus*, ab Ægyptijs *Hermes* Trismegistus, à Cyrenæis denique *Battus* infinitis propè laudibus euehitur. Et *Alexandrum* ciuitates in Bactriâ & Carmaniâ extructæ, *Cæsarem* aræ suæ in ripis Tanaïdos fluuij erectæ, *Pompeium* Trophæa in Pyreneis fixa, *Sesostrem* columnæ in remotissimâ Scythiâ conditæ, *Liberum* aræ in extremâ Indiâ & Oriente ipsi di-

catæ, posteritati commendarũt; & horum præcipui *Hercules*, *Dionysius*, & *Alexander*, quòd ambitum & globum terræ suis cursibus & peregrinationibus perlustrauerint, hominum sermonibus valde celebrantur Quæ cum ita se habeant, quis gloriæ nostri Principis limes erit? an non fulgor eius mũdum quaquauersum replebit & peruagabitur? an non suos in æternum sibi deuinxit, qui non ciuitatem suam sed regna sua, non modò lateritijs aut lapideis mœnibus, (vt *Themistocles* Athenas) sed inuictissimis Religionis, musarum, pacis, iustitiæ, legum, & laudabilis disciplinæ propugnaculis, vndique circumuallauit? qui tot Ecclesias, tot Athenæa, & Academias tanquã inexpugnabilia Capitolia, in Regnorum meditullio & oris, ad hostium stuporem collocauit; (in quibus tanquam in receptaculis & seminarijs veræ pietatis & humanitatis plantæ crescunt & aluntur:) qui homines à vir-

virtutis, imò ſalutis tramite aberrantes, ad meliorem frugem reduxit, qui denique veræ ciuitatis & Regni fundamenta iecit; ciuitates ſiquidem ſunt conſilia, cœtuſq; hominum iure ſociati. Ergo non modò Britanni, ſed & populi vtriq; cœlorum cardini, & ambobus polis ſubiacentes, labores ab eo exantlatos animis reponent, & in omnis æui fluxum memores fouebunt.

Regis memoria quãtam gratiã liberis ſuis apud omnes acquiret.

Quamobrem, actionibus & meritis ſuis, non minùs ſibi ac liberis beneficus ac propitius exiſtit, quàm nobis ſeruis & mancipijs ſuis: poſteros etiam, cognatos, & neceſſarios ſuos, arctioribus nodis ſibi obligauit; nempe in quos bonitatis & manſuetudinis ſuæ, etiam ipſo in ætheream domum tranſlato, nunquam dolenda recordatio, & recõpenſatio redundabit. Nam hæc ſimilium comparatio de vitijs & virtutibus, ad amuſſim quadrat: *Vt omne animi vitium, tanto conſpectius in*

se Crimen habet, quanto qui peccet maior habetur: sic omnis animi virtus tanto conspectiorem apud serò venturos nepotes fructum & memoriam habebit, quanto qui eâ præditus fuerit, maior habetur. *Cyri* Persarum Regis meminisse promptum est, qui de suis tam probè meruit, vt erga filium ipsius *Cambysem* quanquam impotentissimum tyrannum, sui officiosissimos & studiosissimos sese præbuerint. Idem *Antonino Pio* Imperatori vsu-venit; cuius successor *Commodus* quanquam truculentissimus fuerit, summaq; sæuitiâ & crudelitate indifferenter in sontes & insontes grassatus sit, plebi tamen, & optimatibus Romanis, ob merita & officia parentis, longè fuit charissimus.

Deus, quam Regi gratuitam mercedem retribuit.

Neque tantum est quòd ab hominibus, hanc mercedem & retaliationem Noster sibi spondeat, sed etiam à Deo ipso, pietatis patre & patrono, scelerumq; iudice & vindice iustissimo,

mo, mundi Nauclero. *Nihil enim est* (ait *Cicero* in fragmento lib. de Repub.) *principi illi Deo qui mundum gubernat, acceptius, quàm ciuitates, quarum legitimi rectores è cælo profecti, eodèm reuertuntur, omnibusq; qui patriam iuuerint, ornarint, auxerint, certus est in cælis & definitus locus.*

Tunc tot sudoribus defuncti, tam lætâ & latâ statione excipientur, vbi loca incolant, Paradiso terrestri, siue Edene in Mesopotamiâ, infinitis passibus lautiora; vbi roscida fugent mella, mella (inquam) à Christi capitis vibicibus, veluti ex fauo destillantia, & à Dei vultu ipsis arridente, & innumeris Angelorum manipulis, & legionibus circumfulgente. Quorum habitatio, terrestri Solymâ, terrâq; Cenahanis, Hortis Hesperidum, Thessalicis Tempis, Pinei fluminis lapsu notatis, Cyrenaicâ regione, Ægypto qua versus Zoar tenditur, planitie Iodanis, Bimari Corintho in Isthmo si-

Cœlestis regni deliciæ.

ta, Pedemontanis campis prope Eridanum, Campaniâ, Baijsque tepentibus, & Lucrino lacu, Arabiâ fœlice, Canarijs seu fortunatis insulis, Hortoque Franciæ Turonum nomo, tanto amœnior erit, quanto nullus effari queat. Hæc Regibus (dummodo æterni Patris mandatis affectus, & effecta sua deuoueãt) aptissima malorum remedia & antidota, hæc mitissima metus & mœroris solamina, hæc ærumnarum, omnisq; tædij lenimenta. Tali loco, bellicis exempti fragoribus receptui canent, & ex hostium coniurationibus erepti, extra mortis & *Martis* aleam, in has arces intromissi, securi conquiescent. Enimuerò iudicij aduentantis cogitatio cùm alijs quibuscunque, tum præcipuè Regibus, imis animorum radicibus & penetralibus inscribenda est; de quo etiam concionata est vna ex Sybillis, *Cumæa* (ni fallor:) inter cuius multa oracula, de vltimis hisce comitijs, hoc e-

Regum solamen, & quod ys esse debeat malorum lenimentum.

enitet, quo nos quoque miræ tarditatis & diffidētiæ haud falsò insimulat.

Δυσπιστον γαρ (ait) ἁπαν μεροπων γενος, αλλ' ὁταν ηδη
Κοσμου καὶ θνητων ηλθη κρισις ἡν θεος αυτος
Ποιησει, κρινων ασεβεις, θ' ἁμα ευσεβεας τε,
Και τοτε δυσσεβεας μεν, επι ζοφὸν εν πυρι πεμψει:
Οσσοι δ' ευσεβεουσι, παλιν ζησουσι επι γαιης,
Πνευμα θεου δοντος τιμην ἁμα, καὶ βιον αυτοις.

Etenim durum ad credendum omne hominum genus,
Sed cum iam mundi, & mortalium venerit
Iudicium, quod Deus ipse
Faciet, iudicans impios, simul & pios,
Tunc demũ impios in tenebras & ignẽ mittet:
Qui autem pietatem colent, iterum viuent in terrâ,
Spiritum Deo dante, honorem simul, & vitam ipsis.

Iudicij futuri recordatio neutiquam excidere debet.

De eodem etiam *Mercurij* Trismegisti vaticinia extant, quorum hoc est potissimum,

Ηνικα δ' αναλυσιν βροτειην μετα σωμα μαρανθεν
Ωπιστην ἑυρεται (loquens de anima) εις αιθερα πασα φορειται,

Αει αγηραος ουσα, μενει δ' εις παμπαν ατειρης,
Πρωτογονοις γὰρ τουτο θεου διεταξε προνοια.

Voces quidem de cœlo lapsæ, non Triuio dignæ, sed Tripode, & medullis ipsis infigendæ.

Conscientia extremi iudicij præludium.

Huius verò sessionis seu diei Critici præludium est illud tribunal à Deo in hominum animis erectum, Conscientia; quippe Dei iudicis indeclinabilis legatus, de quo ita *Iuuenal*:

—Cur tamen hos tu,
Euasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit
Occulto quatiente animum tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multo tristior illis,
Quas & Cæditius grauis inuenit, & Rhadamanthus,
Nocte, dieq́; suum gestare in pectore testem.

Ergo illius Synedrij siue Curiæ cum tantus sit horror, tamq́; horridus præcursor, quantopere Regibus, incorruptis sanctimoniæ cultoribus, gaudendum erit? vtpote qui non modò tantarum calamitatum congeriem euitabunt, tamq́ue asperam sortem, qualis pro

pro ſtipendio maleficis redditur; ſed etiam cum Sorores ipſis dura fuderint penſa, poſtmodò flammeum & conuexum viſibilis cœli fornicem, ſtellarum ſphæris tanquam ocellatis tapetibus cœlatũ, ac tot lychnis & facibus, igneiſque globis micantem tranſcendent, Regiamque omniparentis aulam & palatium ſine fine occupabunt. Illic neque *Hyperione* egebunt, neque *Arcturo*, *Arctophylace*, aut *Trionibus*, neque *Orione* aureo Cingulo lumbos armata, nec *Atlante* ſatis *Pleiadibus*; namque *Dieſpiter* omnia circumquaque illuminabit.

Cœli meditatio eſt portus, in fretis, & procellis huius vitæ.

Nos ad hæc reſpiciamus, hæc meditemur miſelli, terrenis his & mobilibus caſis incluſi; hæc cõtemplemur, & pro circino teneamus in rimoſis his & ſutilibus ſcaphis, ac leuibus Myaparonibus nauigantes. Cœlo turbido & obnubilo ingeminante, ac rudentes verberante, hâc anchorâ fundemur: in tam fluctuanti, fluidoque ſalo, ſoloq; tam

tam truci commorantes & vagantes, in hunc tacitum & apricum finum laſſi nitamur:

——Hic feſſas non vincula naues
Vlla tenent, vnco non alligat anchora morſu.

Ni pixis hæc puncta tempeſtiuè lambat, verendum eſt ne deuia puppis vadis, aut ſaxis impacta, aliquando pereat & mergatur: ſine his nemo currat per altum, nemo natet in vaſto gurgite, imò, ne funem quidem à curuo littore conuellat.

Atque hæc conſideratio mihi ſtimulos & calcar addidit, vt hunc apicem, & ſummum auctarium conſtituerem beneficiorum, quæ ex anteactis moleſtijs & curis, in Regem noſtrum accumulanda ſunt; quòd terreſtre ſtadium & curriculum emenſus, talem mercedem & retributionem, tá fulgentem coronam à Deo, vt paternæ beneuolentiæ pignus, accepturus ſit, (cuius arrhabone hactenus fruitur:)

tur:) quam oleaginam, & victricem lauream vbi sortitus fuerit, quàm non pigebit in munere sibi demandato fortiter ac strenuè sine nauseâ desudasse?

Atque hîc laudum *Regis Nostri* nunquam satis laudati, clausulam pono.

Nunc tandem ad te, me, meamq; orationem conuerto, Regum terrenorum virtute & viribus amplissime, genioque, & genere spectatissime, patriæ munimẽ: te pauens, astauens, amansque compello. O oneris molimen metuendum! cui ferendo vel ipse *Trinoctio* prognatus impar foret, vel cui grauamen imprimit latus Ætnæ igniuomæ. Verùm non insolenti potẽtiæ meæ fiduciâ, aut veniæ spe, hæc patior in vulgus emanare. Quæ non cantat *Calliope*, non *Apollo*, ea præbet materies, ea libelli subiectum arcano motu suapte naturâ & vi inspirat ac clanculum insinuat. Non *Aganippici* cho- *Parænesis ad Regem.*

chori ſuaſu, non *Aonidum* ſucco, linguam perfuſus; non tuo, Pieri, rore madens, aut illitus labella, non tui pollicis ictu, aut acu politus; aſt amore illectus, & inuitatus candido, dicta promo, & argumenta cudo.

Neque in ijs quidem tractandis, vt in Campaniæ latifundijs velitabor, neq; maiores compilabo Centones, quàm ſunt (vt ait ille) duo *Cæſaris* Anticatones: ſed in ſummâ rei ſubiectæ fertilitate, exuberantiam ſtyli cõprimam, ac in re maximâ & latiſſimâ, ſtrictim, tractimque procedam; & ſi animi ſenſa vel pauxillùm expreſſero, verborum ſententias premam, atque excurrere geſtientes conſtringam: & huc breuiter proximè ſequentia verba tendunt. Nimirum vt cùm oneris tibi impoſiti difficultatem, & rarum pondus teneas, (neque enim vulgaria ſceptra geſtas, neque vulgares populos moderaris, (graues ſimultates vndequaque gliſcunt, magnorum tumultuum

Sequentis admonitionis ſumma.

tuum rudera manent) populos indomitos, feroces, atque insolentes Regis:) Deo te totum committere, eiusque subsidio innixi, ac Sionis territorium, & fines amplificare, Euangelijq; lucem propagare, vt cœpisti, sic indesinenter pergas; eò omni virium ac neruorum molimine, atque intensione, consilia & conatus impellas. Quis tam incertæ & erraticæ gubernacula cymbæ retinentem rectà diriget, nisi Deus solus? Verùm quàm grauem sarcinam portant Reges, sympoſiaco septem Græciæ sapientum colloquio edocemur, quos cum *Periander* Athenienſis, vnà cum *Æſopo* cœnatum inuitasset, epulas ijs instruxit multò parciores & moderatiores solito; (nam frugalitas ipsis placuit:) & vbi ad sermonẽ peruentũ esset de officio Principis, *Solon* aiebat, Eum Principem beatum esse, qui ex monarchiâ democratiam institueret: (non quòd vellet ius Regis ipsi adimere, aut in populum

Colloquium septem sapientum de Regis officio

Liberationes.

Ea ex plurimis insidijs, tragœdijs & periculis animam tuam eripuit; ea veneno in aluo maternâ ad te ante acceptam lucem extinguendum dato, restitit; ea semel ex Daniâ remeantem, iterumque Taodunum versus transfretantem, à veneficarum carminibus & incantamentis, ac horribili procellâ irruente, te sospitem conseruauit; ea omnium hostium crudelitatem propulsauit; ea tumultuosi *Bothuelij* detestandos, & quater repetitos conatus repressit, & ludificauit; ea, à sceleratis fratribus *Rathenis* tētatum flagitium, in ipsorum perniciem & domus excidium vertit; ea à triplici coniuratione Pontificiâ, post Angliæ acceptum diadema, & à profundissimo perditorum dolo & *Dædalis* machinis extraxit, & ab omnibus cassibus extricauit; ea demum à pulueris pyrij subterraneo flatu te defendit: quarum rerum historiam posteritati commendare, ac referre decreuimus.

Quantum Euangelio deuinctus sit Rex.

Ea

Ea etiam tuarum ædium laquearia cælauit, ea palatij lacunaria, & fornices illustrauit: tu eam vicissim pro virili orna, & tuere; ea vt pura puta, incontaminata, atque aliunde accitis hęresium fermẽtis impermista maneat, sedulò prospice. Illa insulis & mari te præfecit, ac continenti fecit terrificum; tu insulas, & continentem, eâ vndequaque impleas, vt eius Canone, & norma, vt lineâ perpendiculari, omnes suas actiones, tum tui, tum alienigenæ metiantur.

Progressus Euangelij per orbem terrarum.

Ad illas terras Euangelium transfundere cura sit, vnde in nostrum orbem deriuatum fuit: sol Euangelij in Eoo exortus est, peruenitque ad nostrum hesperium cubile; in oriẽte primùm eluxit, & nunc vsque ad vltimas occidentis metas perlatus est, atque hîc subsistit: neq; tamen Oceano tingitur, ast Dei beneficio supra horizontem in hoc nostro hemisphærio semper apparet, at cum ad nos appropin-

quauit, Orienti delituit:

Nosq́, vbi primus equis Oriẽs afflauit anhelis
Illic fera rubens accendit lumina vesper.

Vt ait *Virgilius* de Antipodibus, i. allegoriâ huc tranſlatâ: vt nobis affulſit, Orientalibus quaſi concauâ nube incluſus, & in eclipſi protinus obſcuratus eſt. Aſt horum deploratæ ſortis quàm pœnitet? quàm piget? miſeretque? Quare quàm percuperemus, eos hac atrâ morte ſubleuari, & denuò renouari in vitam; ita tamen vt illorum bono, & ſalute, præiudicij nobis nihil accidat.

Europæi penè omnes, paucis Græcis & Moſcouitis exceptis, CHRISTVM profitentur, eiuſue ſacroſanctũ nomen ſuis ſuperſtitionibus tãquam laruam aut velum obtendunt; reliquę ferè nationes heu! à Chriſto ſaluatore, & mediatore prorſus alienæ: tu itaque veræ Religionis reſtauratorem quem vidimus, & futurum expectamus, his ignotam adhuc & inauditam Chri-

Christi notitiam distribue; illis fucatam & ementitam reforma, atque emenda, ac tot vitiatam, infectamq́; labeculis, ad primogeniam integritatẽ restitue: vt Itali deuij & degeneres, Galli, Hispani, Polloni, Moscouitæ, Hungari, ex Belgis, Heluetijs & Germanis quotquot errant, Volgæ ostijs finitimi, Pannones, Illyrici, seu Sclauones, item Insulares, Cretenses, Cyprij, Siculi, Rhodij, Sporadumq́ue, & Cycladum incolæ, allecti, in *Semi* tentoria quæ incolunt Britanni, tandem commigrent.

Grauis & seria exhortatio ad Regem, vt in opere Religionis reformandæ, secundo successu inchoato alacriter pergat.

Et tibi etiam ad Asiam trajiciendum: Iudæi suum *Dauidem* aliquando agnoscant, & venerentur; Asię minori amissa & neglecta lux reddatur. Babylonij, Assyrij, Elamitæ, Armenij duplices, Syri, Parthi, Arabes, Albani, Iberi, Caspij, Tartari, ipsiq́; Indi, & Calicutenses, Gedrosi, Arrachosij, & Bactriani, Ponti Euxini, Tanaidos, & Imai montis accolæ, atque Insulares;

Taprobanenſes, Molluccas, aureamq; peninſulam, ſeu Cherſoneſum inhabitantes, illius lucis fauillis & claritate operâ tuâ illuminentur.

Neque Lybiæ calentis oræ prætermittendæ; Ægyptij, Æthiopes, vtriq; Numidæ, Barbarici, Maſſyli, Marmarici, Cyrenei, Mauritani, Tunenſes, Garamantes, Barſæi, Abyſſini, Nigroque flumini & lunæ montibus vicini, eodem nomine tibi gratias debeant; Americani etiam effrænes, & feri, voraceſq; Canibales cicurandi ſunt, eademq; ratione tibi deuinciendi. Ergo neque ortum modò, ſed etiam Boream & Auſtum, & terras quæ occidenti propiùs adiacent, perluſtres. His tamen ita patefacias huius almæ lucis orbitam, vt nihilo ſeciùs apud te, tuoſq; inoffenſa & inoffuſcata permaneat.

Regi Impoſſibilia non imponi, in negotio reſtituendæ veritatis.

Aſt tibi Rex ſanctiſſime, & glorioſiſſime, inuicte Archi-monarcha, mortalium vni, quis tantum onus imponi ini-

iniquum non cauſabitur, & nimis rigidum? quis conamen tale humanas artes excedere non arbitretur? Certè his perficiendis nemo hominum ſufficit, aſt ijs ſemitam & iter ſternere, callemq; aperire, tibi mortalium exercitatiſſimo, & ad talia façinora deſtinato, aptiſſimo iure competit, (& hoc ex elogiis tuis primum & ſupremum æſtimari oportet.) Quare quia Apoſtoli & Prophetæ de te, Regniſq; tuis, vaticinia Spiritus ſancti inſtinctu patentia & perſpicua reliquerunt: de te quidem, cum in Apocal. prædicitur futurum, vt decem cornua, beſtiæ, i. Antichriſti Romani deterrimam vim contundant; quorum quin tua Celſitudo ſit ex præcipuis, nemo ambigit. De regnis tuis cum in ſecundo Pſalmo dicit filio ſuo vnigenito Chriſto Deus pater, *Dabo tibi fines terræ*: quam ſingulari nomine prophetiam Britannicam & Scoticam appellare, ratio poſtulat: (quod ex litera-

Prophetiæ de noſtro Rege, ac regnis eius, earumq; complementa.

tissimi,& ornatissimi cuiusdam pastoris ore recordor primũ didicisse.) Britannia namque & supra omnes eius nomos, Scotia fines terræ possidet, tũ ad occasum, tum etiam propemodùm ad Aquilonem, (propemodùm dico, quia Thulem Insulam & paucas in contiguâ terrâ regiones excipio) de qua re *Virgilius:*

Et penitùs toto diuisos orbe Britannos.

Quæ prophetia complementũ habuit partim cum in primitiuâ ecclesiâ Scoti Religionem Christianam amplexi sunt; atq; hæc prœuia stella, veluti lucifer fuit, & phosphorus, Solem venturum antecedens. Ast beato nostro iubilæo Titan pleno suo fulgore erumpit, & ad cuncta regni latibula expanditur.

Ex omni sacro contextu elicitur,& dilucidè colligitur, eos pietate insignes & operosos fuisse, de quibus eo respectu Spiritus Sanctus loquutus est multo ante ipsorum natiuitatem.

Quip-

Quippe, Propheta ille Bethelita *Ieroboamum* compellans, prædixit de *Iosiâ*, fore, vt altare ipsius *Iosias* proueret, & euerteret profanum illum cultum: *Isaias* de *Cyro* multa literas exarauit ante ipsius ortũ, quia hic Ecclesiam Dei in ergastulo diu iacentem, & vinctam restituit, Regioq; diplomate, & edictis publicis, Iudæorum manumissionem sanciuit, ac redeuntes cõmeatu, viatico & sumptibus iuuit: ille puritatem religionis, iam multis obrutam sæculis, redintegrauit, legemq́ue multis deprauatã & vitiatam corruptelis, (quæ sacerdotum oscitantiâ irrepserant,) pristino vigori & nitori restituit. Deus hos Reges ad opus ingens parabat, & ante lucem ipsis communicatam, eos ad finem illum sanctificauit, vt eorum operâ, suorum grex & cœtus fatiscens, atq; animam agens, tandem respiraret. Sic quia ad easdem partes obeundas, tuam Maiestatem adaptauit, & condidit Altissi-

Vaticinia de Iosia & Cyro ante ipsorum ortum.

mus, ideo de te, regnoque tuo, quanquam in vltimis terris & vndis locato, iam tanto antè temporis lapsu mẽtionem fecit; vt omnes hinc augurentur Deum te tanquam annulum sigillarẽ digitis suis affixisse, & tanquam torquem aut monile aureum appendisse collo; denique seruaturum veluti tenellulam oculi pupillam, ne festuca vlla te inuadat, nec te offendat quicquã, aut in opere reformandæ religionis, diuinitus fidei tuę tradito, moram, aut cunctationem inijciat. Et ex omnibus quæ recensui gaudij & gratulationis tuæ argumentis, ex omnibus priuilegijs tuis, hoc maximum, hoc supra reliqua erigendum, nemo sanus hæsitet. Quare vt *Paulus Timotheo* dat in mandatis, idem tibi identidem inculcat solertissimæ mentis viua acies, vt secundum antegressas de tua Maiestate prophetias, te geras, totumq; vitæ tramitem instituas.

Lapis ille ex monte excisus sine manibus,

nibus, ſtatuam illam deleuit, ferrumque, lutum, æs, argentum, & aurum fuerunt vt gluma ex areis æſtiuis; vt palea, ita hæc vento diſperſa ſunt, & veluti gramen ſole ambuſtum: ac lapis qui ex monte dolatus erat, in montem ingentem euaſit, qui totam terram repleuit, exſtititq; vaſtus, & præruptus, inſtar Appennini. CHRISTVS quatuor illas celebres monarchias ſolo æquauit, *Omniſq; poteſtas in cælo & in terra ipſi data eſt*: idem ille lapis, idē ille Chriſtus, voce ac voto ſuppliciter venerandus, tuæ Maieſtati ſolium ſtabile tradidit, ac confirmauit; ſuæ Eccleſiæ afflictæ & tantis procellis agitatæ leuamen ſimul ac nutritium, & alumnum blandulum, te gratificatus eſt. Lapis ille in tuam Excellentiam non corruit, prægraui ac prementi vi noxius; aſt tanquam angularis lapis & baſis, tibi ſuſtinendo ſubſtratus eſt; ei incumbas, in eum res omnes tuas, vt facis, deuoluas oportet. Cuius lapidis pulſu

Chriſtus priſcas Monarchias conquaſſauit ac deiecit.

Chriſtus imperium, & Sceptrum Regis noſtri ſtabiliuit ac confirmauit

pulſu monarchiæ illæ conuulſæ ſunt, & conturbatæ, eiuſdem amico niſu, vt fulcri, & ſtatuminis, tua monarchia conſolidatur, & radices altas agit, tui poſtes fulgent, & Attalico metallo condecorantur.

Hanc tua excellentiſſima Maieſtas, Deo ὑψιμέδοντι gratiam rependat, vt qui tui amantiſſimus exſtitit rerum pater, eius gloriæ promouendæ, eius veritati aſſerendæ & amplificandæ, ſummo ſtudio incumbere ne tædeat, gregemque paſtus ſui à Magnatibus terræ, ac mundi tenebrionibus deſertum, & deſolatum, hilari ſuauiſſimi & amabilis vultus & voluntatis aurâ ac ſpiraculo refocillare ac fouere pergas, turbámque piorum in tanto creſcentium calamitatum æſtu, quaſi cancro aut Syrio candente, tantùm non languentem & ilia ducentem, ſolito more, patrocinio tuo vt charos clientes recreare, & ad ſpem lætiorem trahere perſiſtas. Tale, tuus vultus nobis, diuine

ne Monarcha, quale ſopor feſſis in gramine, quale per herbam. Neque quantum tuam celſitudinem penes erit, animos vnquam deſpondebunt. Atque hîc calamum de Rege plura perſequi, & ſine fine ſcribere geſtientem cohibeo.

De Regina.

CVm de Rege dixerimus, iuſtæ methodi ratio flagitat, vt de optimâ & probatiſſimâ vxore, thori, regniq; ſociâ coniugali, fauſtiſſimo hymenæo copulatâ Reginâ, item de generoſiſſimo primogenito filio, paternæ laudis æmulo, & reliquis liberis verba faciamus. Hæc breuibus exſequemur, & expediemus paucis, ac huiuſce narrationis vela complicabimus.

Et laudatiſſimæ heroinæ dominæ noſtræ Reginæ memoriam, obliuione ſopitam obliterari triſtiſſimum eſſet: nec interituros autumo ſermones hoſce, neque qui ſub ſermonis materiam veniunt, edaci æuo abolendos.

Multi

Multi præclari & fortes viri intercide-
runt, quia ſcriptis non ſunt exarati; ſed
quos literæ conſecrarunt, à morte &
tenebris vindicantur; iuxta quod ait
ille: Non

Quàm vtile & expetendũ Heroibus & heroinis, literis conſecrari.

Primus — Teucer tela Cydonio
Direxit arcu: non ſemel ilios
Vexata: non pugnauit ingens
Idomeneus, Sthenelusve ſolus:
— non ferox
Hector, vel acer Deiphobus, graues
Excepit ictus, pro pudicis
Coniugibus, puerisve primus.
Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illachrymabiles
Vrgentur, ignotiq́, longâ
Nocte, carent quia vate ſacro.
Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus.

Etenim de celebratiſſimis loquens, &
in nouis operis huius periodis, & mo-
mentis, elegantiſſimi poëtæ verba &
ſententias tranſcribere & vſurpare, vo-
lens cogor, & libens adducor.

Ergo

Ergo cum viris iuxtà & fœminis magnis, grauis iactura & periculum eſſet præcone orbari, nos eas vices, donec fœliciores ſuperuenerint, obibimus, ſylueſtriſque auenæ flatu, iſtarum rerum hymnos pangemus; aſt magis ſuauiloquos & canoros ad voces emittendas hæc calcaria pungent & ſuſcitabunt. Iſta autem prędicta nobiliſſima Regina *Anna*, *Frederici* ſecundi, Danię & Noruegiæ præſtantiſſimi Regis, Holſatię Ducis, &c. & *Sophiæ* vnicæ filiæ *Vlrici*, Ducis Mekilburgenſis filia, honoratiſſima proles, optimis parentibus procreata: nata erat anno 1574. & anno ætatis decimo ſexto, auſpicijs & auibus bonis Regi noſtro nupſit, & Regina Scotiæ coronata fuit Edinburgi, totius verò Britanniæ, Galliæ, & Hyberniæ, in aulâ & cathedrâ Weſtmonaſterienſi, 25. Iulij, 1603.

Sobolem peperit marito ſuo (Deo omnis gratiæ authori laus eſto) numeroſam,

roſam, beatiſſimam, iucundiſſimam, pulcherrimam, & liberi tres tanquam diuini fauoris pignora, & teſſeræ ipſis dati ſunt; quale munus nulli noſtræ tempeſtatis Regum indulſit cœli terræque genitor: quippe duos mares ac vnam fœminam enixa eſt, nunc ſuperſtites, præter eos quos Deus in ſua habitacula tranſtulit.

Liberi Regis.

Henricus VValliæ Princeps.

NAtorũ primus eſt *Henricus* Princeps Walliæ, patris gaudium, patriæ ſpes, primogenitus parentũ, Regnorum hæres, (faxit Deus:) de cuius geſtis cõmemoratio fieri non poteſt, nondum aſſumptâ virili togâ, quum decimum quartum annum nondum exceſſerit: aſt egregiæ & altiſſimæ indolis conſpicua & manifeſtiſſima argumenta omnes in eo cõtemplantur, qui loquentem audiunt, quiq; argutiſſimos eius ſermones auribus hauriunt, quicunque incedentem vident, aut equo inſidentẽ, & Alipedes Noto

to ocyùs agentem : qui cum coëtaneis & paribus digladiantem, enſeſque fulmineos aut haſtilia contrectantem aſpiciunt. In his (inquam) miram mentis ſolertiam, corporiſque agilitatem, celeritatem, & firmitatem ſummam in eo ſinguli deprehendunt; in quibus non mediocriter ipſi opitulatur præceptoris & didaſcali, *D. Neutonij* opera; viri omnifariâ artium, linguarúmque cognitione excultiſſimi, qui vt alius *Seneca*, *Plutarchus*, aut *Polybius*, ipſi ad omnem ſanctimoniam & virtutem callem patefacit, & tanquam conſultiſſimus ὁδηγὸς, viam cõmonſtrat.

SEcundus filius eſt *Carolus* Eboraci & Albaniæ Dux, Ormontiæ Marchio, Roſſiæ Comes, & Ardmanochiæ Baro : quem ſub eâdem, vel ſimili cum Genitore conſtellatione natum, tum ex animi virtutibus, tum ex corporis forma & proportione facilè iu-

Caroli Ducis tituli.

iudicandum, eò quòd congruentia inter se natiuitatis sidera, congruentes (ita Deo disponente) animos producunt: quod *Hipparchus*, *Eudoxus*, *Plato*, *Aratus* & *Hesiodus* affirmarunt; quò alludens *Persius*.

Non equidē hoc dubites, amborū fœdere certo
Consentire dies, & ab vno sidere duci:
Non scio, sed certè est quòd me tibi comparat astrum.

Vnde fit, vt oculis paternis non rectà tantùm, sed etiam in obliquum & retrorsum, immò in omnes plagas Maiestate quadam collimet & subtiliter penetret: quin etiam paterno quasi ingenio & iudicio mutuato, vt in serijs decentissimè se gerit, ita iocosa & faceta, leporisque sale condita dicteria ab eo nonnunquā venustissimè supra ætatem vsurpantur; quæ cum vrbanæ festiuitatis plena sint, & argutissimè ab eo pronuncientur: sicut alios auditores mirificè delectant, ita eos in quos stringuntur & diriguntur, non parùm

parùm afficiunt. In hoc certè pro ætatula acutiſſimum ingenium, ſolidiſſimum iudicium, tenaciſſima memoria, & magnus excelſuſque animus ita decertant, vt cui palma debeatur, non facilè iudicaueris; ſpē tamē certiſſimā iſta faciunt ſummæ aliquando eruditionis, prudentię, & fortitudinis, quorum elementa & ſeminaria non obſcura ab omnibus quotquot ipſum vidiſſe contigit, manifeſtiſſimè deprehenduntur. Prima ſtudiorum eius rudimenta ab amantiſſimo patre, & prudentiſſimo Rege, *Thomæ Morauio*, viro eruditiſſimo ſunt demandata: cuius de *Carolo* epigramma adſcribere hîc libuit:

Effigies en viua patris, ſtructura patriſq;,
Pes, manus, os, oculi, fronſq; genæq; patris:
Et patris caput auguſtũ, lingua aurea patris,
Diuinum ingenium, iudiciumq; patris:
Mnemoſyne patris, patris cor, vitaq; patris,
Vox, vultus, geſtus, mens, animuſq; patris:
Omnibus his patrem ſpiret cũ filius, haud eſt
Filius ipſe patris, credo, ſed ipſe pater.

FIliarum vnica ſuperſtes eſt *Elizabetha*, Princeps formâ venuſtâ, in qua primo intuitu, comitate condita maieſtas elucet: quæ cum duodecimum annum nondum exceſſerit, in ea tamen egregiæ & altiſſimæ indolis conſpicua argumenta omnes contemplãtur. Huic ingenium acutum, memoria tenax, iudicium ſupra ætatulam acre. Pietate *Flauium Clementij* Romani Conſulis filiam, *Fauſtam* & *Eulaliam* adæquat: adeo vt de ipſa videatur ceciniſſe poeta:

Elizabethæ virtutes.

Pietas.

Eſſe aliis videor fœlix, patre Rege——
——& proauis edita ſceptrigeris;
Aſt ego fœlicem, ſi ſum, me iudico, rerum
Quòd Dominus famulã me velit eſſe ſuam.

Linguarum varietas.

Linguarũ cognitione & varietate *Zenobiæ* Palmirianorum Reginæ, *Aretiæ* & *Corneliæ* comparãda eſt, aut anteponenda. Muſicam etiam diligenter excoluit, qua in arte plurimùm profecit; nam facultas placida & generoſa placidiſſimę & illuſtriſſimę virginis ingenio

nio apprimè conueniebat. Huic morũ ſuauitas, liberalium mentis corporiſq; exercitationum quæ Regiam decent virginẽ, haud vulgaris peritia: deniq; quicquid excellens excelſumq; in *Elizabetha* Angliæ Regina, id omne in vna hac virgine Principe pro ætate compactum, & ſi illam nobis ſuperſtitem ſeruauerit Deus, accumulatum reperietur. Quæ omnia poſt Deum, indefeſſæ induſtriæ & ſingulari in expoliendo tenello eius ingenio, vigilantiæ nobiliſſimi ſpectatiſſimæ pietatis & probitatis viri, Domini *Ioannis Haringtonij*, Baronis ab Exton, & illuſtriſſimæ Heroinæ *Annæ* eiuſdem conjugis, quibus eius educandę cura demandata eſt, accepta ferenda ſunt. Ad cuius *Elizabethæ* laudes amplificandas illud Poetæ adſcribere libuit:

Haringtonij Baronis & eius ſponſæ laudabilis induſtria.

—*Eximiæ delectat gratia formæ?*
Aſpice quantus honos frontis, quæ gratia blandis
Interfuſa genis, quàm mitis flamma decoris

Fulguret ex oculis, quàm conſpirarit amico
Fœdere cum tenera grauitas matura iuuẽta,
Lenis & auguſta cum maieſtate venuſtas,
Pectora nec formæ cedunt exercita curis
Palladijs, & Pierias exculta per artes
Tranquillant placidos Sophia ſub iudice mores.

——Quam ſi priſca tuliſſent
Sæcula, non raptos fleſſet Menelaus amores:
Et ſine vi, ſine cæde Phrygum Cytharea probatæ
Soluere Priamidæ potuiſſet præmia formæ.
Digna quidem facies, quam vel trans æquoris æſtus
Claſſe Paris rapiat, vel coniurata repoſcat
Græcia.——

Atque hæc de liberis: quibus vt ſobolem ſimilem adjiciat, & multiplicet Deus, & datam conſeruet; ab omnibus fidelibus Britannis obnixè rogandus eſt.

Eadem præclariſſima noſtra Regina, fratrem habet natu maximum *Chriſtianum* inuictiſſimum Daniæ, Noruegiæ, Gothorum, Vandalorumque

Daniæ Regis tituli.

que Regem, Slesuiciæ, Holsatię, Stormarchiæ, Vagrię, & Dithmarchię Ducem, Oldenburgi & Delmenhursti Comitem, *Martis* famulum, imò filium, hastam & acynacem quatiendo expertissimum, talem vtique leuirum aptissimum qui habeat. (Tuq; ô beatissime Regis maximi Fili natu prime, *Henrice* his lætare. Te, ô magnæ spes altera Romæ, Et pater *Æneas* & auunculus excitet *Hector*. Britanniæ &c. Daniæq; &c. Reges tibi calcaria sint & exemplaria ad virtutem consectandam.) Is implacidos hostes dejicere, & pellere probè edoctus est: velox vexare turmas aduersantium, & frementem equum per medios ignes mittere: vt tauriformis Aufidus voluitur, quum diluuiem cultis agris & satis meditatur, sic Rex ille tremendus ferrata vicinorum agmina, vasto diruit impetu, quoties res exigit, primosque & extremos metit, victor sine clade.

Daniæ Regis laudes.

Te cæde gaudentes Sueci
Compositis reuerentur armis.

Verùm eo in transcursu salutato, ad Reginam nostram reuertor, & passus reuoco. Vt Regem vnà cum maximis viris & Ductoribus, stateræ & lancibus commisi, sic illam inculpatissimis & potentissimis fœminis, Heroinis & Imperatricibus, componere intendo; sed non prolixitate tali, ast stricto ac compendioso verborum processu. Si de Sanctitate percontemur, (quæ muliebris sexus preciosissima gemma est & margarita) Deiq; reuerentiâ, ac obedientia erga maritum: in ijs *Saræ*, *Rebeccæ*, *Abigailis*, filiæ *Pharaonis* quæ *Schelomoni* data est, exempla sequitur, earumque gressibus insistit. Constantiâ & magnanimitate, quatenus eæ fœminis conueniunt. *Chlæliæ* virginis vestigia premit, quæ Hetruscis (ex quo per pontem sublicium in vrbem irrumpere tentassent) obses data, & *Porsenæ*, noctu custodiam

Pietas Reginæ.

diam egressa, equum conscendit, celeriqúe traiectu Tibridem tranans, patriam obsidionis terrore eripuit. Tali fortitudine laudatur *Harmonia*, *Gelonis* Siciliæ Regis filia. Talis etiam fuit *Lacænarum*, quæ hostes vrbem oppugnantes, missilibus, & lapidibus iactis, cohibuerunt, donec viris arma assumere, & in auxilium concurrere tempus concessum fuit.

Amore coniugali tanto erga maritum tenetur eadem ornatissima Heroina; quanto olim *Artemisia* erga herum suum *Mausolum* Cariæ Rectorē; consimilis affectus *Iuliæ*, *C. Cæsaris* filiæ annotatus est, quæ cum Ædilitijs comitijs, *Pompeij* coniugis sui vestem cruore respersam, domum delatam vidisset, verita ne qua vis ei esset allata, exanimis concidit, fœtúmque vtero conceptum abortiuo partu eiecit. Talis fuit & *Porcia Catonis* filia, vxor *Bruti*. Sic *Hypsicratea* Regina, effusis charitatis habenis, *Mithridatem* virum

Amor Reginæ erga Regem maritum.

Amoris & charitatis coniugalis memorabilia exempla

ſuum amauit, quæ victum etiam à *Pompeio*, & per efferatas gentes fugiẽtem infatigabilis ſecuta eſt. Id fuit marito rerum difficilium & aſperarum ſuauiſſimum lenimentum: cum domo enim & penatibus vagari ſe credidit, vxore ſimul exulante. *Antonia* quoque fœmina his laudibus virilem familiæ ſuæ claritatem ſupergreſſa, amorem mariti ſui egregiâ fide pẽſauit, quæ poſt eius exceſſum, cubiculum ſocrus pro coniugio habuit, in eodemque toro alterius adoleſcentiæ vigor extinctus eſt, alterius viduitatis experientia conſenuit.

Ergo amore, fide & obſequio erga maritum, ad illuſtriſſima matronarum & Reginarum exempla, ipſis multo illuſtrior Regina Britanniæ &c. appropinquat.

Regis amor mutuus, & reflexus in Reginam vxorem.

Quapropter & Dominus ipſius eam conſimili affectu proſequitur, qualis fuit *T. Gracchi* pudicus animus in *Corneliã* ſponſam, & *M. Plantij* in *Horiſtillam*,

ristillam. Ergo reciproco motu, maritalis & castus ardor, ad amantissimam coniugem reflectitur, & retrocomeat.

Denique quicquid erat decorum, nitidumq; in *Tanaquile*, *Sophonisba* Numidiæ Regina, *Lucretia*, in *Nitocri* Chaldæa, *Roxane Alexandri* matre, *Coriolani* matre, aut *Lauinia*, id omne in vna hac spectatissima & honoratissima Heroina ac matre aceruatim compactum & accumulatum reperitur.

Cuius imago Deæ, facie cui lucet in vna
Temperie mixta, Iuno, Minerua, Venus,
Est dea: quid dubitem? cui sic conspirat amicè
Mascula vis, hilaris gratia, celsus honos.
Aut dea si non est, diuæ est quæ præsidet Arcto,
Ingenio, vultu, moribus æqua Deis.

Ergo Regis Reginæq; thorum genialem & thalamum magis magisq; fœcundet Dominus, & talibus sagittis pharetram ipsis impleat, lectum inquam fœcundet, ipsosq; secundet & fulciat, ac penates tueatur ac protegat hîc & in supremâ aulâ degẽtes, in æui-

terna & nunquam terminanda fæcula, id Britanni precum thure, victimis, & suffitu haud segniter vrgent, orant, & vt iam exorauerint, orare non desinunt.

Deo gloria, Regi salus, Regnis pax, hostibus pauor, amicis exultatio.

FINIS.